STUDI E DOCUMENTI

DI

STORIA E DIRITTO

PUBBLICAZIONE PERIODICA

DELL'ACCADEMIA DI CONFERENZE STORICO-GIURIDICHE

ANNO V. — Fascicolo 3°

(Luglio-Settembre 1884)

PAG.

I. *Ad legem unicam Codicis* De solutionibus et liberationibus debitorum civitatis (*lib. XI tit. XXXIX*) — prof. I. ALIBRANDI 169

II. *Nuovi documenti sul sacco di Roma del MDXXVII* — march. G. CAVALLETTI-RONDININI 221

III. *Lettere inedite del card. de Granvelle a Fulvio Orsini e al Card. Sirleto* — sig. P. DE NOLHAC 247

IV. Cenni bibliografici — G. GATTI.

I. card. HERGENROETHER. *Leonis X pontificis maximi Regesta* 277

CH. GRANDJEAN. *Les Registres de Benoît XI*. 278

Rivista storica italiana . . . . . »

D. PANTALEONI. *Della* auctoritas patrum *nell' antica Roma sotto le diverse sue forme* 279

M. R. DE LA BLANCHÈRE. *Terracine: essai d'histoire locale* 281

E. SELETTI. *La città di Busseto, capitale un tempo dello Stato Pallavicino.* »

D. BERGAMASCHI. *Storia di Gazolo e suo marchesato* 281

R. CAGNAT. *Explorations épigraphiques et archéologiques en Tunisie.* 282

J. DELAVILLE LE ROULX. *Les archives, la bibliothèque et le trésor de l'Ordre de S^t Jean de Jérusalem à Malte* 283

P. DE NOLHAC. *Les collections d'antiquités de Fulvio Orsini* 284

V. Opere ricevute in dono dall'Accademia 285

VI. Pubblicazioni periodiche ricevute dall'Accademia (Marzo-Giugno 1884). . . 286

ROMA

TIPOGRAFIA DELLA PACE DI FILIPPO CUGGIANI

Piazza della Pace num. 35.

1884

AD LEGEM UNICAM CODICIS
DE SOLUTIONIBUS
ET LIBERATIONIBUS DEBITORUM CIVITATIS

Lib. XI tit. XXXIX.

---

1. Non inconcinne a docto viro mihi dictum fuisse memini, monumenta legalia, ac praesertim tabulas negotiorum solemnium in studio romani iuris id ferme utilitatis praestare, quod formae et diagrammata praestant in geometria aliisque matheseos disciplinis. Iis namque propositis, eae quae tradendae sunt doctrinae magis dilucide explicantur, facilius ac promptius percipiuntur, mentibusque discentium altius insidunt. Id cum in aliis compluribus Iustinianei iuris locis usuvenire existimo, tum potissime in lege unica Codicis *de solutionibus et liberationibus debitorum civitatis* quam declarandam suscepi, quum haud exigua lux huic affulgeat ex antiquis inscriptionibus, maximeque ex nonnullis ceratis tabellis, quae inter effossas anno MDCCCLXXV Pompeianas ruinas erutae sunt. Haec autem declaratio ad instituti nostri rationem magnopere pertinet, ideo enim leges haustae ex tribus postremis Codicis libris proponi solent enucleandae sacri Consistorii Advocatis recens adlectis, quia ut plurimum ad eas leges pleniora interpretum commentaria desiderantur. Iamvero nullibi certius est pleniora eiusmodi commentaria deficere, quam in iis rescriptis et constitutionibus, quibus penitus explicandis opportuna scriptoribus praecedentibus deerant documenta. Equidem haud ignoro iam aliquos extitisse post detectas Pompeianas tabulas, qui illas et hanc legem nostram invicem illustrari animadverterint et monuerint; sed isti, quod sciam, breviter rem attigerunt, illudque potius cogitasse videntur quod archaeologiae cultores instrueret, quam quod iuris studiosis satisfaceret. Quare nulla interiecta mora, creditum munus exequi aggrediar, atque ut ordine rite praestituto ac ser-

vato clarius procedat disquisitio, prius ea dicam quae ad sinceram rescripti lectionem, rectumque intellectum pertinent difficiliorum verborum, praesertim quorumdam officia significantium, quorum origo et natura aliqua involvitur obscuritate: deinde ex Pompeianis tabellis ea proferam quae ad rem facere videntur. Demum collatis simul rescripto et tabellis, quae propria sit vis, potestas et ratio propositae legis inquiram.

2. Unicum rescriptum est quod in titulo XXXIX libri undecimi Codicis continetur, illudque sic habet: " Imp. Alexander A. „ Quattuorviris et Decurionibus Fabretanorum. — Cautiones „ servorum publicorum ita demum firmam securitatem debitori- „ bus praestant, si curatorum adsignantium vel eorum quibus „ exigendi ius est auctoritate subnixae sint. Quum autem is qui „ exsolvisse dicitur, solam scripturam actoris suscipientis pecu- „ niam promat, ea tantum defensio consuevit admitti, si quod „ exsolutum est rationi reipublicae profecisse doceatur. Sane cu- „ rator vester, si fraude servi constiterit effectum ut interci- „ perentur a curatore illatae a debitoribus quantitates, de pe- „ culio eius quod eo modo deest restituet „.

3. Duo hac in lege visa sunt emendatrice manu indigere: vox *Fabretanorum*, cuius loco creditum est, olim fuisse *Fabraternorum;* et verba *à curatore* quae Theodorus Mommsen [1] censuit esse delenda ante vocem *illatae* prope finem rescripti. Plane nomen Fabretanorum tam insolens est, ut nullo modo dubitandum sit, quin ad Fabraternos Alexander rescripserit: ideo Paulus Krüger in editione Codicis quam Berolini adornavit anno 1877 posuit incunctanter " *Fabraternorum* „. Ac merito quidem; istorum enim, non secus atque oppidi eorum Fabrateriae frequens mentio est in antiquis scriptoribus et monumentis [2]. Hi Volsci erant, et se iampridem in Romanorum fidem receperant

[1] *Hermes* 1877, vol. XII pag. 117.

[2] Cic. IX *Famil.* 24; Strab. *Geograph.* V c. 3 § 9; Juven. *Sat.* 3 v. 224; Sil. Ital. *Bell. Pun.* VIII v. 396; Anton. itin. pag. 303; Tab. Peuting. segm. Ve Fabrateria; Lib. I colon. inter gromat. pag. 234 edit. Lachmann; *C. I. L.* X, 5584, 5653.

ut contra Samnites protegerentur [1]. In horum territorium colonia deducta est anno U. C. 630 [2]. Hinc Fabraterni in *veteres* et *novos* [3], quemadmodum Agrigentini post deductam coloniam, distincti sunt [4]. Illorum veterum oppidum Fabrateria vetus dicta fuit [5], eique praeerant IVviri [6]; altera nova dicta [7] a duoviris, veluti coloniae generatim [8], regebatur. Hinc intelligimus Alexandri rescriptum Fabrateriam veterem respexisse, prout recte notavit Th. Mommsen in *Corp. Inscript. Lat.* Tom. X pag. 552. Haec sita erat ubi modo oppidum Ceccani est; Fabrateria nova non longe ab illa, in loco qui dicitur *S. Giovanni in Carico* [9].

4. Quam facile animum induxi ut Pauli Krüger emendationem amplecterer, tam aegre et ingratiis possum inducere ut cum Mommseno deleam verba " *a curatore* „. Non equidem praes aut sponsor fierem affirmanti, sic prorsus scriptum fuisse ab Alexandro; verum cum in omnibus antiquis exemplaribus eae voces reperiantur, et non absurda interpretatio, iis retentis, rescripto valeat accomodari, solidam rationem non video cur eas deleri oporteat. Profecto si periodus eas complectens aliter explicari non posset, quam intelligendo cum glossa vetere pecuniam a debitoribus solutam ad curatorem pervenisse, primus ego liturae remedium omnino adhibendum censerem. At fieri potest ut qui ea verba dictavit (sive Alexander fuit, sive unus e confectoribus Codicis Iustinianei) contrarium senserit ab eo quod glossa putavit. Primo namque statuendum est, optimam esse latinam dictionem hanc " *intercipere ab aliquo* „, qua notatur actus illius

[1] Liv. VIII, 19.
[2] Vellej. Paterc. *Hist.* I c. 15.
[3] Plin. *H. N.* III, 9; *C. I. L.* X, 5578, 5647, 5650.
[4] Cicero *in Verr.* Act. II, lib. 2 c. 50.
[5] *C. I. L.* V, 3354; Garrucci, *I marmi antichi di Fabrateria vetere, oggi Ceccano.* Roma 1858.
[6] *C. I. L.* X, 5657.
[7] Grut. 367, 6; Mommsen, *Inscr. Neap.* 4456, 4457; *C. I. L.* X pag. 547.
[8] Cic. *de leg. agrar.* II c. 34. Vide Gellium *N. A.* XVI, 13 in fin. et Marquardt, *römische Staatsverwaltung* 1873 Tom. I pag. 479 n. 6, et pag. 480 n. I.
[9] De Matthaeis, dissert. inter acta Academ. Archaeol. Rom. Tom. VIII; Garrucci op. cit.; Henzen, *Bullettino dell'Ist. di corr. archeol.* 1865 pag. 250; *C. I. L.* X pag. 546.

qui intercipiendo facit ne res in potestate alterius sit, cuius esse oporteret. Quare Livius (lib. III c. 71) Scaptium quemdam plebeium, qui adserebat Romanis agrum de quo Ardeates et Aricini certabant, ita loquentem inducit: " Mirari se, quonam more Ar- „ deates Aricinique cuius agri ius nunquam usurpaverint, incolumi „ Coriolana re, eum se *a populo romano*, quem pro domino iu- „ dicem fecerint, *intercepturos* sperent „. Neque haec verbi constructio per passivam vocem impeditur; similis enim est illi qua Caesar est usus quum scripsit: " qua ex re futurum uti totius „ Galliae animi a se averterentur „ [1]. Ambiguitas quae oriri posset eo quod lector aliunde nesciat quis fuerit auctor interceptionis, satis, ut puto, amovetur per verba praecedentia " *si fraude servi constiterit effectum ut interciperentur* (*quantitates*) „; quibus verbis apertissime servus, non curator, in crimen vocatur. Omnibus itaque perpensis, non abnuerem partem rescripti postremam sic intelligere quasi diceret: si constiterit fraude servi effectum, ut illatae a debitoribus pecuniae in potestatem curatoris minime pervenirent, iste de peculio servi quod eo modo deest in arcam communem referet.

5. Constituta veriore rescripti lectione, nonnulla prosequar verba quae notatione digna prae ceteris videntur. A primis exordiar. Initium huic nostro simile praeseferunt litterae Vespasiani relatae in *Corp. Inscript. Latin.* tom. II n. 1423: " *IIIIviris et decurionibus Saborensium* „, nec non Domitiani " *IIIIviris et decurionibus Falerensium ex Piceno* „ [2]. Pariter Tullius quum Fregellanis magistratibus et Curiae negotium quoddam C. Valgii Hippiani commendare vellet, ita scripsit: " *M. Cicero quattuorviris et decurionibus S. D.* „ [3]. Colonias et Municipia senatum ad instar romani habuisse illumque ex decurionibus constitisse nemo est

[1] *De bello Gall.* I, 20.
[2] *C. I. L.* IX, 5420.
[3] Cic. *Famil.* XIII, 76.

qui nesciat [1]; ac veluti in urbe senatus potestati subdebantur quaecumque ad bona reipublicae et aerarium pertinebant, teste Polybio [2], sic in minoribus civitatibus quidquid ea super re constituendum erat decurionum ordo decernebat, ceu patet, ut alios omittam, ex Tullio l. c. et ex Gaio II, 195: omnes autem qui bona pecuniamque communem administrabant decurionibus rationes edere ac reddere tenebantur [3]. Intererat igitur huius ordinis novisse quomodo dubium expediretur, de quo agitur in Alexandri rescripto, proindeque facile intelligitur cur ad eos datum fuerit. Verum quum ordini decurionum praeesset supremus civitatis magistratus, cuius partes alicubi duoviri, alibi quattuorviri obibant, ceu comperimus ex tabula Heracleensi et L. Rubria passim, ideo necesse erat ut de istis ante decuriones mentio fieret. Rescriptum autem docet reipublicae Fabraternorum quattuorviros non duoviros praefuisse.

6. Perdiu existimatum fuit haec duo magistratuum genera ex numero gerentium tantum distincta invicem fuisse, ita ut officia quae in aliis civitatibus duoviri obibant, in aliis a quattuor personis implerentur. Displicuit modo haec sententia, et in aliam omnino dissitam discessum est propter accurata studia circa antiquas epigraphas instituta. Laboriosam lucubrationem „ *de quattuorviris municipalibus* „ edidit imprimis Augustus Wilhelmus Zumpt[4], in qua ostendit ope veterum inscriptionum, non omnes quattuorviros paria munera obiisse, sed duos ex iis ea fecisse quae in aliis oppidis duoviri iure dicundo agebant, alios autem duos officium exercuisse quod alibi aediles exequebantur: quare quum magis distincte compellantur, duo illi primi dicuntur IVviri iure dicundo, alii vero bini IVviri aediliciae potestatis. Haec vero sen-

[1] Tab. Heracl. l. 86.
[2] *Hist.* VI, 13.
[3] Lex Salpens. c. LXVII; Lex. col. Iul. Genet. c. XCVI.
[4] *Comment. epigraph.* Tom. I pag. 161-192.

tentia passim a doctis viris recepta [1] nulli videtur gravi difficultati obnoxia.

7. Verum quid differt, inquiet aliquis, fuerintne duo paria magistratuum (duumvirorum et aedilium), an collegium unum quattuorviris constans? Si Zumptium audias, nullum hac in re excogitari debet discrimen quod (ait) positum esset alioquin magis in nomine, quam in ipsius magistratus natura ac potestate [2]. At vero hac in parte mihi vir doctus errasse videtur; ac magis placet sententia Mommseni qui duas *diversas* regiminis formas agnovit; scripsit enim: " scilicet duae formae reipublicae antiquitus extiterunt, altera sub duobus viris aedilibusque duobus, altera sub quattuorviris maioribus iure dicundo, minoribus aedilicia potestate „ [3]. Plane epitheta maiorum, minorumve in lapidibus inscripta non sunt; ac licet diversitas formarum merito affirmata fuerit, obscurum tamen manet in quo proprie constiterit, saltem cum primum inducta fuit. Credibile enim vero non est in monumentis legalibus, qualia sunt Lex Iulia in tab. Heracleensi, et L. Rubria, tam accurate fuisse duoviros et quattuorviros distinctos, si nullum in re discrimen subesset. Huc accedit quod C. Iulius Caesar peculiarem videtur habuisse curam, ut quattuorviri pro duoviris in municipiis italicis crearentur. Nam quum ageretur de civitate Transpadanis danda scribebat Tullius ad Atticum: " Nondum satis huc erat adlatum quomodo Caesar „ ferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis „ eos iussos quattuorviros creare. Quod si ita est, magnos motus „ timeo „ [4].

8. Antequam C. Caesar rerum potiretur, etsi quattuorviros alicubi fuisse nequeam inficiari [5], tamen passim in oppidis Italicis

[1] Marquardt, op. et tom. cit. pag. 479, 480; Willems, *Le droit public romain* (Louvain 1883) pag. 544.

[2] Op. sup. cit. pag. 190.

[3] *Corp. Inscr. lat.* X ind. pag. 1159.

[4] *Ad Attic.* V, 2 in fin.

[5] Cic. *ad Attic.* X, 13; *pro Cluentio* 8.

duovirale regimen praevaluisse videtur, unde vere Mommsenus scripsit consulatum Italicum potius institutum quam romanum fuisse [1], at postea quattuorvirale in municipiis magis invaluisse videtur. Sane, quum Caesar ipse Italiam peteret civile bellum gesturus, et vellet naves sibi a municipiis suppeditari, duoviris se id imperasse scripsit [2]. Pariter fragmentum legis ad municipia spectantis quae est in tabula Atestina, quaeque antiquior videtur aliis eiusdem generis, quarum partes adhuc supersunt, duoviros solos memorat, de quattuorviris tacet: " Quoius rei in quemque „ municipio, colonia, praefectura quoiusve duoviri eiusve qui ibei... „ iure dicundo praefuit..... iurisdictio..... fuit etc. „ [3]. At leges quas Caesar deinde tulit, vel triumviri reip. constituendae ferri voluerunt, quum de coloniis et municipiis agunt, duoviris quattuorviros iungunt, prout in d. Tab. Heracleensi et L. Rubria videre est. Aliquam certe fuisse Caesaris legem ex qua in municipiis quattuorvirale regimen frequentius evasit, suadet insignis epigraphe Patavina, in qua apparet quidam M. Iunius Sabinus IIIIvir aediliciae potestatis e lege Iulia municipali [4]. Si hoc ita fuit, explicaretur cur Corfinium, cui praefuerant duoviri antequam Caesar rerum potiretur [5], deinde quattuorviros habuerit [6], et ratio *ex parte* redderetur cur in quibusdam Italiae municipiis veteres epigraphae modo duoviros, modo quattuorviros praeseferant [7]: *ex parte*, inquam, non enim ignoro alias occurrere potuisse causas quae in obscuro sunt, imo extitisse nonnunquam, quae viros doctos non latuerunt: puta quum municipia coloniae ius impetraverunt (infra § 15), vel quum vox quattuorvirorum in latiore significatione usurpata est, ut duoviros et aediles complecteretur [8].

[1] Mommsen, *Hist. rom.* lib. 2 c. 1 § 3.
[2] *De bello civili* I, 30.
[3] *Studî e docum. di storia e dritto.* Anno II (1881) pag. 5.
[4] *Corp. Inscr. lat.* I pag. 123; V, n. 2864.
[5] Caes. *de bello gall.* I, 23.
[6] *C. I. L.* IX, 3172, 3173.
[7] Vid. Marquardt, op. et vol. sup. cit. pag. 479 not. 6.
[8] *C. I. L.* IX, 5420 *(Faleriae)*; X, 800, 938, 1075 *(Pompeiis)*, 1236 *(Nolae)*, 3921 *(Capuae)*.

9. Caesaris profecto haud intererat, utrum qui praeerant civitatibus Italicis duoviri et aediles, an potius una verborum conceptione quattuorviri vocarentur. Erat ergo inter duo instituta discrimen aliquod re, non nomine tantum: et hoc discrimen non a Caesare inductum, sed antea extiterat, nam IVviri alicubi, ceu notavi, ante Caesaris aetatem fuerunt. Quaenam fuit huius discriminis ratio? Ut in re obscura sententiam meam, qualiscumque sit, aperiam, hoc primum animadvertam quod vox et conceptus quattuorviratus significat in pari supremoque honoris gradu fuisse eos qui potestatem aediliciam exercebant, cum iis qui munia alioquin propria duoviratus obibant. Cur autem alicubi iam pridem haec paritas fuerit inducta, aliter nequit intelligi, quam si ponamus aedilitiam potestatem perantiquam in Italia fuisse (ceu suadent inscriptiones vetustissimae litteris oscis, vel archaicis latinis conscriptae [1]), unde *italus honor* a Persio dicitur [2], simulque teneamus quae natura fuerit huius aediliciae potestatis in civitatibus Italiae iuxta primigeniam institutionem. Id autem coniicere possumus dumtaxat ex eo quod antiquitus Romae fuit.

10. Si fides est Theophilo qui veteres iurisconsultos solebat describere: " quemadmodum inter Patres consul ius reddebat et „ controversias dirimebat, ita et in plebe creatus est quidam quem „ hi adirent qui ope aliqua egerent, et ita ab aditione quae ab „ adire descendit dictus est adilis, deinde euphoniae gratia inter- „ posita est litera *e* et ita factum est aedilis „ [3]. Haec etymologia, licet minus probabilis, quod ad grammaticam pertinet, etiam apud Festum reperitur [4]. Dionysius Halicarnassensis, qui aediles initio quasi adiutores tribunorum facit, inquit eos antiquitus iudices (δικασταί) fuisse vocatos [5]. Sane etiam sequiori aetate in foro

[1] Fabretti, *Glossar. ital.* v. *aidilis*; Garrucci, *Syllog. inscript. lat.* n. 560, 569. V. Leg. Acil. repet. v. 86 in *C. I. L.* I, 49 n. 198.

[2] *Sat.* I prope finem.

[3] Theoph. *Inst.* I, 2 § 7.

[4] *De verb. sign.* v. *aedilis*, edit. Müller pag. 13.

[5] *Antiq. Rom.* VI, 90.

tribunal habebant [1], atque iis competebat ius multae dicendae [2], quod iurisdictioni erat coniunctum [3]. Iudices autem plebis eos dici oportebat, nam consules Quiritium *iudices* erant et dicebantur [4]. Romae igitur antiquitus praeerant duo paria magistratuum qui a iudicandi munere, non secus ac Suffetes Punici, appellationem nacti fuerant. Utraque proprium habebant ordinem in quem iurisdictionem exercerent. In ceteris utique negotiis maior erat potestas consulum, sed iis deficientibus, aediles in eorum officia subibant. Siquidem anno CCXCI U. C. cum tetra lues per urbem grassaretur, et alter ex consulibus mortuus, alter aegrotus esset, ad aediles plebis, Livio testante [5], *summa rerum ac maiestas consularis imperii venerat.*

11. Huic notioni potestatis aediliciae iuxta primigeniam eius naturam illud minime obesse puto, quod antiqui scriptores ita de tribunatu loquuti sint quasi maius aliquid et praestantius aedilitate fuerit; namque aediles pertinebant ad internum regimen plebeii coetus, cuius concilia pro gravioribus negotiis iudiciariis convocabant [6], et scita custodiebant [7]. Tribuni universum plebeium ordinem repraesentabant coram et contra patricios, fueruntque, uti acute Tullius animadvertit, *contra consulare imperium constituti* [8]. Ceterum huic quam expressi notioni aedilitatis antiquae in urbe Roma optime convenit id quod positum erat in legibus coloniarum, quas alioquin scimus fuisse effigies parvas Romae, omniaque populi romani instituta habuisse [9]. Scilicet " nequis in hac „ colonia ius dicitio, neve cuius in ea colonia iurisdictio esto nisi „ IIviri, aut quem IIvir praefectum reliquit, aut aedilis „ [10].

1 Tab. Heracl. l. 24; *C. I. L.* I pag. 120.
2 Tacit. *Annal.* XIII, 28; Gell. *N. A.* X, 6, 3.
3 L. 131 § 1 ff. *de V. S.* (L, 16).
4 Varro, *de lingua lat.* VI, 88; Liv. III, 55; Quintil. *I. O.* I, 6, 32.
5 *Hist.* III, 6 in fine.
6 Liv. XXXIII, 42.
7 L. 2 § 41 ff. *de or. iuris* (I, 2).
8 *De republ.* II, 33 in fine.
9 Gell. *N. A.* XVI, 13 n. 8, 9.
10 Lex col. Iuliae Genet. c. 94.

12. Analogiae argumentum quod suadet aediliciae potestatis vim talem primitus fuisse in aliis Italiae oppidis, qualem Romae vidimus, aliis quoque adminiculis roboratur. Certum est enim coetum patricium a plebeio non Romae tantum, sed alibi passim in Italia distinctum fuisse [1]. Certum est sequiore aetate aediles tribunal et iurisdictionem in municipiis habuisse [2]. Imo, quod mireris, etiam postquam excogitari vix amplius poterant diversi ius dicentes pro diversis ordinibus, aediles plebi maxime devinctos inspicis. In libro Suetonii de claris rhetoribus c. VI legimus: " C. „ Albutius Silus Novariensis, quum aedilitate in patria fungere- „ tur, quum forte *ius diceret,* ab iis contra quos pronuntiabat pe- „ dibus e tribunali detractus est.... Iam autem senior ob vitium „ vomicae Novariam rediit, *convocataque plebe,* causis propter quas „ mori destinasset diu ac more concionantis redditis, abstinuit „ cibo „. Quid plura? Residuum adhuc plebeiae iurisdictionis praebet epigraphe Ariminensis sic inscripta: L. Betutio L. f. Pal. Furiano aedili, cui et curulis i(*uris*) d(*ictio*) et plebeia mandata est. Plebs urbana ex aere conlato ob honorem ab eo integre et sine ambitione administratum l(*oco*) d(*ato*) d(*ecreto*) d(*ecurionum*) [3].

13. Iamvero si cogitemus aediles qui erant antiquitus in pluribus Italiae oppidis, non alios fuisse quam iudices plebis, dum duoviri (sive Praetores sive Meddices) patriciorum erant, nihil cogitabimus de quo vehementer mirari oporteat. Historiae civitatum Italiae aetate media nonnunquam simile quidpiam praesetulerunt. Bononia aliquando duas quasi respublicas habuit, *Communis* scilicet et *plebis,* quarum utraque suis magistratibus regebatur [4]. Porro si ponamus tales olim fuisse aediles et duoviros quales diximus, simulque videamus alicubi quattuorviros vocatos eos qui reipublicae praeerant, credendum est inibi ma-

[1] Walter, *Hist. iuris rom.* lib. I c. 2 § 12.
[2] Mommsen, *Stadtrechte der lat. Gem. Salp. und Malac.* p. 442.
[3] Orelli 3979: cf. Henzen ad Orell. tom. III p. 434.
[4] Savigny, *Hist. iur. rom. med. aet.* lib. 2 c. 20 § 56.

gistratus plebeios patriciis magistratibus in gradu honoris aequales fuisse, forsitan ad dissidia auferenda, quemadmodum Romae (licet modo nonnihil diverso) " inventum est temperamentum quo „ tenuiores cum principibus aequari se putarent in quo fuit civi- „ tatis salus „ [1]. Id factum esse in ipsa civitatum constitutione vix credibile est: antiquitus namque praevalebant optimates; ita enim Appius Claudius (si fides est Dionysio [2]) aiebat: " ἀριστοκρατεῖται δὲ „ καὶ τὰ ἔθνη τὰ πέριξ ἡμῶν ἅπαντα, καὶ τὸ δημοτικὸν ἐν οὐδεμιᾷ πόλει μετα- „ ποιεῖται τῶν ἴσων „ i. e. " omnes quae circa nos sunt gentes „ optimatum imperio reguntur, et in nulla civitate plebs aequi „ iuris cum iis est particeps „. Si postea se res aliter habuerunt, credendum non est eas ita fuisse compositas sine ulla contentione. Exhinc vero facile haec duo explicarentur: I cur alicubi, Arpini puta, Fundis et Formiis soli aediles summae rei praeessent [3], eo quod scilicet popularis factio iampridem optimatibus praevaluisset; II cur propagationi IVviratus impense faverit Iulius Caesar, quippe qui semper se popularium partium profitebatur adsertorem, quemque Sylla praecinuit " *optimatium partibus exitio futurum* „ [4].

14. Aequalitas autem in gradu honoris secum ferebat ut acta quattuorviri qui iuri dicundo praeerat, possent irrita fieri a collega IVviro aediliciae potestatis intercedente, iuxta principium iuris publici a veteribus agnitum, et ipsa natura dictante exortum, quo docemur rata esse oportere magistratuum iussa " *ni par, maiorve potestas prohibessit* [5]. Huic illud proximum erat, quod in actibus qui ab aliquo pro communi potestate gerebantur, commune esset periculum, et communis obligatio damni, si datum esset, sarciendi, quod late explicavit Papinianus in LL. 11,

[1] Cic. *de Leg.* III c. 10.
[2] *Antiq. rom.* VI, 62.
[3] Cic. *ad Fam.* XIII, 11; *C. I. L.* X, 5679, 5682 (Arpini), 6105, 6108 (Formiis), 6233, 6234, 6235, 6238, 6239, 6242 (Fundis).
[4] Sueton. *in Iulio* c. I.
[5] Cic. *de legib.* III, 3.

13 ff. *ad Municipalem* (L, I). Qua in re consulere etiam par est Ulpianum in L. 25 *eod.* docentem: " Magistratus municipales „ quum unum magistratum administrent, etiam unius hominis vi„ cem sustinent, et hoc plerumque quidem lege municipali iis „ *datur*. Verum etsi non sit *datum*, dummodo non denegatum mo„ ribus competit „. Videbatur potius *impositum* quam *datum* fuisse dicendum; agebatur namque de onere gravissimo. Verum quum lex municipii omnes quattuor uno in ordine habebat instar viri unius, spectata institutionis origine, aliquid revera concedebat. Ceterum facile intellectu est hoc genus regiminis Caesari placere debuisse ea etiam de causa, quod, si vellet summis municipiorum magistratibus quidpiam imperitare (idque aliquando eum fecisse vidimus), expediebat quattuor magis quam duos in singulis oppidis obstrictos habere. Sane eius assecla Antonius, cum quid vellet praecipere, non duos tantum iuri dicundo praepositos, sed quattuorviros omnes, imo et decem primos arcessebat [1].

15. Quum leges municipales Caesaris Italiam potissime respexissent, et municipia extra Italiam formam romanae reipublicae ut plurimum essent imitata, factum est ut rarius quattuorviri, crebrius duoviri in transalpinis et transmarinis regionibus reperirentur. Saepe autem municipia impetrabant, ut in formam coloniae redigerentur [2]. Quum porro onera magistratibus imposita fugiendos magis quam expetendos municipales honores effecissent, putandum est quattuorviros aediliciae potestatis facile passos esse aediles sese appellari, quo fiebat ut duo primi, duoviri iuri dicundo, nemine contradicente, vocarentur. Translata autem Bizantium imperii sede, quum uno vocabulo magistratus municipales vellent designari, perquam naturale est, eos qui imperatorum nomine constitutiones scribebant maluisse duumvirorum nomen usurpare utpote magis generaliter receptum. Id sane iam factum vi-

[1] Cic. *ad Att.* X, 13.
[2] Gell. *N. A.* XVI, 13 § 4; L. 1 § 4, 9 et L. 8 § 5, 6, 7 ff. *de censibus* (L, 15).

demus ab aetate Constantini [1] ac repetitum in compositione Digestorum, ubi perpetuo veteres iurisconsulti ita loquentes inducuntur quasi solos duoviros magistratus municipales gessisse putarent. Quod plane credibile non est veteres illos fecisse, quum hoc Alexandri rescriptum quod propositum habemus, ostendat aetate Papiniani, Ulpiani et Pauli quattuorvirorum nomen et officium adhuc in usu fuisse.

16. Praeter decuriones et quattuorviros curatorem quoque in hoc rescripto memoratum cernimus. Quum varia essent genera curatorum, qui aliquod in civitatibus explebant officium, ex variis adiectionibus solebant distingui: sic reperitur curator Kalendarii, curator operum publicorum, curator muneris publici, curator viarum, curator frumenti. Heic vero quum sermone converso ad IVviros et decuriones dicatur " *curator vester* „, posset quidem accipi pro *curatore Kalendarii arcae decurionum*, quem Fabrateriae Veteris fuisse scimus [2]; sed vero similius est, ac non immerito existimatur eum intelligi, qui *curator reipublicae* vel *civitatis* dicebatur. De huiusmodi curatoribus plura graviter sciteque scripsit v. cl. Gulielmus Henzen in libello singulari inscripto " *sui curatori delle città antiche* „ quem inseruit annalibus dictis " *Annali dell'Istituto di corrispondenza archeologica*: *anno 1851* „. Ibi invicte refutavit sententiam prolatam a C. F. de Savigny in historia iuris rom. med. aet. [3], ac relatam a G. Puchta [4] aliisque, qui curatores reip. eosdem esse cum quinquennalibus rati sunt [5]. Falsitatem huius sententiae perspicue demonstrant epigraphae in quibus curator a quinquennalibus distinguitur, vel series officiorum, quae quispiam gessit, ita describitur ut cura civitatis et quinquennalitas tanquam seiuncta ponantur. Primi generis titulus

[1] L. 16 C. Theod. *de decurion.* (XI, 1); L. 18 Cod. Iust. *eod.* (X, 31).
[2] *C. I. L.* X, 5657: cf. 5654.
[3] Lib. I c. 2, n. 15.
[4] *Instit.* 1 § 92.
[5] De his, eorumque discrimine a curatoribus, videndus est quoque A. W. Zumpt, *Comm. epigr.* I pag. 146 seqq.

est a Fabretto relatus (682, 67), ubi curator Laurentium dicitur M. Annius Sabinus Libo, V. C., quinquennales autem Ti. Iulius Nepotianus et P. Aemilius Donatianus. Alterius generis est epigraphe Matilicensis quae a municipibus eius oppidi posita est C. Arrio Clementi, qui fuit *IIvir quinquennalis, patronus municipii, curator reipublicae* [1].

17. At vero si diversus a quinquennalibus curator erat, qualia eius officia fuere? Gravia ea fuisse exinde licet coniicere quod Ulpianus librum singularem *de officio curatoris reipublicae* conscripserit, cuius quinque fragmenta in Pandectis supersunt [2]. At singula haec munia recensere satis expeditum non est. Permulta curatori tribuerunt scriptores, praeeunte Pancirolio *de magistr. munic.* c. II, sed non admodum accurate vis documentorum expensa, nec tempora et loca, prout oportebat, discreta sunt. Non enim obscurum est, in Pandectis nonnunquam curatores positos fuisse ubi de magistratibus, puta duoviris, mentio erat. Ac sane curatores nonnisi secundo imperii saeculo ab imperatoribus extra ordinem dari coeperunt, velut Henzenus optime demonstravit. At si Pandectarum digestoribus fides esset, aetate Servii Sulpicii, qui decessit priusquam Octavianus rerum potiretur, in usu fuissent. Sic enim legitur sub Ulpiani nomine in L. 5 §§ 3, 4 ff. *Quod vi aut clam* (XLIII, 24): " Sed et Servius recte ait, sufficere fe„ minae, viro notum facere opus se facturam (i. e. *sufficere ad „ hoc ne opus videatur clam fieri*) vel denique sciente eo facere, „ quamquam etiam illud sufficiat celandi animum non habere „. § 4: " Item ait, si quis in publico municipii velit facere, suffi„ cere ei si curatori reipublicae denuntiet „. At vero aetate Servii nulli reipublicae curatores erant: ergo curatoris nomen pro duoviro est inductum. Nec immerito; si verum est quod de duoviris scripsit Carolus Maynz: " Vers la fin du quatrième siècle ils

[1] Orelli-Henzen n. 6771. Cf. Orelli 2170 (= 3866).

[2] L. 33 ff. *de usuris* (XXII, 1); L. 4 *de decretis ab ord. faciendis* (L, 9); L. 5 *de oper. publ.* (L, 10); LL. 1 et 15 *de pollicit.* (L, 12).

„ n'ont plus que le droit de recevoir des actes. Un *pater* ou *cu-* „ *rator civitatis* a l'administration des biens communaux „ [1].

18. Insuper inscriptionum auxilio Henzenus ostendit, et liquet ex antiquis scriptoribus qui de curatoribus civitatum meminere, haud excepto Codice Theodosiano, singulos in singulis civitatibus curatores fuisse, quandoque etiam uni duas fuisse attributas. Ast in Pandectis ita de curatore sermo est quasi collegam haberet; namque in L. 9 § 8 *de admin. rerum ad civit. pert.* (L, 8) legimus: " Item rescripserunt (Marcus et Verus) curatorem etiam „ nomine collegae teneri si intervenire et prohibere eum potuit „. Eiusdem furfuris sunt quae in L. 3 pr. et § 1 *eod. tit.* leguntur. Dubitare quis posset utrum Servius, et Antoninus cum Vero loquuti fuerint de eo curatorum genere, cuius mentio est apud Gromaticos in lege Mamilia Roscia c. 55. Huic curatori in deducendis novis coloniis et municipiis constituendis facultas dabatur ea peragendi in exordiis novae civitatis, quae deinceps acturi erant ordinarii magistratus [2]. Si ageretur de coloniis, *curatores coloniae* dicebantur, et numero plures esse poterant [3]. Hoc modo fortasse putaret aliquis posse defendi sinceritatem dictarum legum 5 § 4 ff. *Quod vi aut clam*, et 9 § 8 *de adm. rer. ad civ. pert.* Sed non est in quo haereamus. Tota illa lex 9 ita scripta est ut appareat sub curatorum velamine ordinarios magistratus latere, qui infinitis gravantur oneribus, quorum aliqua in heredes etiam transeunt. Id autem si ad curatores referatur, alienum certe fuit ab Antonino Aurelio, qui, " *quo latius senatorias tenderet dignitates* (adeoque ut animos Patrum sibi devinciret) *curatores multis civitatibus e senatu dedit* „ [4]. Rursus in L. 3 § 4 *Quod vi aut clam* docemur metiri facultates curatoris reipublicae ex concessione legis municipalis, id quod naturae mandatarii imperialis,

[1] *Éléments de droit romain*, Introd. § 76. Quod de synonymia curatoris et patris Maynz asserit, inferius ad trutinam vocabitur § 28.

[2] Rudorff, *gromatische Institutionen* pag. 334, 335.

[3] Orelli 366, 368, 369, 370.

[4] Iul. Capit. *in Marco* c. 11.

quales erant curatores, minime congruit. Quare verendum est magnopere ne in Digestis saepe duoviri et quattuorviri in curatores mutati sint, velut in L. 2 Cod. *de debitor. civit.* (XI, 32) deprompta ex L. 1 Cod. Theod. *de curatore Kalendarii* (XII, 11) curator iste in patrem civitatis est conversus, ac veluti in L. 12 C. *de transact.* (II, 4) hausta ex L. 4 Cod. Greg. *eodem* (I, 11) civitatis ordo in civitatis administratores fuit immutatus. Exinde sequitur, depromi non posse e locis Digestorum, ubi sermo est de curatoribus civitatum, certam materiem ac suspicione immunem, ut probe sciamus quaenam fuerint aureae iurisprudentiae tempore eorum curatorum officia. Praesertim vero perquam dubia fit ea iurisdictio, quam hisce curatoribus Th. Mommsen attribuit [1], nixus auctoritati solius legis Cod. Iust. *de sententia quae sine certa quant. profertur* (VII, 46).

19. Pandectis itaque et Codice sepositis, necesse est ad veteres inscriptiones confugere. Ex iis, prout innui, discimus curatores rerum publicarum ab imperatoribus missos fuisse, idque ex loco quem attuli Iul. Capitolini in vita Marci confirmatur. Primus quem certo constat curatores misisse Traianus est: qua de re videndus titulus Brixiensis, qui positus fuit *P. Clodio Surae .... curatori reipublicae Bergomatum dato ab imp. Traiano, curatori reipublicae Comensium dato ab imp. Hadriano* [2]. Perperam quidam sequentes E. Kuhn [3] huius instituti petivere origines ab imp. Nerva, propter locum Ulpiani in L. 3 § 4 ff. *Quod vi aut clam*, qui sic habet: " Plane si praetor vel curator reipublicae permi- „ serit in publico facere, *Nerva scribit* exceptionem locum non „ habere, quia, et si ei locorum, inquit, publicorum procuratio „ data est, concessio tamen data non est. Hoc ita verum est, si „ non lex municipalis curatori reipublicae amplius concedat „. At vero nonnisi per summam imperitiam censeri posset Ulpianus

[1] Mommsen, *römisches Staatsrecht* II pag. 1036 (Lipsiae 1877).
[2] *Corp. Inscr. Lat.* V n. 4368.
[3] *Die städtische und bürgerliche Verfassung des röm. Reichs* I, 37 (Leipzig 1864).

de rescripto Nervae imperatoris dixisse " Nerva scribit „. Is certe dicturus erat " divus Nerva rescripsit „ [1]. Oportet itaque ut ea verba ad Nervam iurisconsultum referamus. Et quidem ad Nervam patrem, nam quoties filius velit significari, epitheton filii neque ab Ulpiano, neque a Papiniano, neque a Paulo omittitur [2]. Nerva autem pater, Tiberio imperante, mortem sibi conscivit [3]. Profecto hoc pacto crescit difficultas, namque ad Augusti vel Tiberii tempora curatorum reip. institutio retraheretur. Ast id ego non timeo : quum in sup. § 18 declaraverim hunc ipsum Ulpiani locum novum praebere argumentum ut credamus saepe IIviros et IVviros in Digestorum compositione fuisse in curatores civitatum immutatos. Proinde libenter sententiae accedo Theodori Mommsen, qui Nervae nomen iurisconsulto, non principi, retulit, negavitque se posse inferre ex eo Pandectarum fragmento, curatorem ab imperatore datum Nervae notum fuisse [4].

20. Nec prodest iis, qui institutionem curatorum reipublicae Nervae referunt acceptam, Philostrati locus in libro I Vit. sophistarum c. 19 (adductus a Marquardto, *römische Verwaltung* tom. I pag. 488 n. 5 et pag. 490 n. 5, et a P. Willems, *Le droit public Romain*, Louvain 1883 pag. 525): ἀνὴρ ὕπατος ᾧ ὄνομα Ῥοῦφος, τοὺς Σμυρναίους ἐλογίστευε πικρῶς, καὶ δυστρόπως. Τούτῳ τι προσκρούτας ὁ Νικήτης, ἔῤῥωσο, εἶπεν καὶ οὐκέτι προσήει δικάζοντι. Quum logistae appellatio a Graecis appicta fuerit civitatum curatoribus, ut inferius ostendam, sic locus iste intellectus est quasi diceret, " magistratus nomine Rufus apud Smyrnaeos logistae (i. e. curatoris reip.) munus obibat acerbe et inhumaniter „. At vox λογιστής latius patebat, et iudicem quoque (teste Suida) significabat. Hinc λογιστεύειν commode valere potest " iudicia exercere „. Et id Philostratum voluisse patet ex voce postrema δικά-

[1] Vid. Ulp. *Reg.* XXIV, 28.

[2] Vid. L. 2 in fin. ff. *de his qui not. inf.* (III, 2); L. 13 § 7 *de usufructu* (VII, 1); L. 1 §§ 14, 22, 47 *de acq. vel omit. poss.* (XLI, 2).

[3] Tacit. *Ann.* VI, 26.

[4] Mommsen, *römisches Staatsrecht* II pag. 1034 nota 2.

ζοντι quae illi respondet. Quare, ni fallor, hic huius loci sensus est: Rufus acerbe et inhumaniter iudicia in Smyrnaeos exercebat. Huic indignatus Nicetes " vale „, dixit, nec amplius accessit iudicanti. Ceterum valde demiror viros doctos autumasse voce ὕπατος designari a Philostrato curatorem reipublicae, qui aetate Nervae aliter excogitari nequiret quam tanquam mandatarius imperialis extra ordinem missus: dum compertum est alioquin Philostratum scriptoresque graecos eiusdem aetatis nomine ὕπατος vel consulem romanum (de quo hic certe non agitur) vel ordinarium magistratum civicum, puta duovirum, significasse [1].

21. Restat itaque ut in praesenti documentorum statu, curatorum, de quibus agitur, originem a Traiano repetamus, qui ad civitates iam constitutas transtulit nomen eius officii, aliqua ex parte similis, quod iampridem in usu erat in novis coloniis aut municipiis constituendis [2]. Namque et isti curatores nostri, mandatarii imperiales erant, datamque auctoritatem in municipia et colonias exercebant, perdurante tamen, licet nonnihil circumscripta magistratuum ordinariorum et curiae potestate. Post Traianum, Hadrianus et qui sequuti sunt principes, curatores saepe civitatum nominaverunt, velut ex epigraphicis monumentis patet, quae simul ostendunt viros non vulgares, sed dignitatibus Romae iam perfunctos ad munus illud fuisse electos; aliquem extitisse, cui semel iterumque unius civitatis cura crederetur, nonnunquam plurium civitatum curam uni demandatam, nonnunquam curatorem alibi quam in credita sibi civitate commoratum fuisse (unde liquet per ea tempora hoc officium praesentiam gerentis in loco, pro quo explendum erat, minime exegisse), demum ab aetate Traiani ad aetatem Severi et Antonini saepe exprimi in scriptis lapidibus nomen imperatoris a quo quis-

[1] Dufrêne *Glossar.* v. ὕπατος, et Olear. ad Philostr. Vit. Herod. pag. 546.
[2] Vid. L. Mamiliam Rosciam, et Rudorff, op. sup. cit.

que curator datus fuerat [1], quod cum soleat negligi in epigraphis posterioribus, indicio est, officium illud vulgatius deinde fieri coepisse, ita ut paulatim ab extraordinario in ordinarium converteretur. Hoc tamen nondum evenerat aetate Alexandri auctoris rescripti nostri, namque eo imperante apparet C. Cesonius Rufinianus curator reip. Lanivinorum II, cui scilicet muneris collatio iterata fuerat [2].

22. Illud enimvero gravissimum ad intelligendam huius officii naturam nobis ex inscriptionibus innotescit, quod sanciendis decurionum decretis curatorum *consensus* posceretur, non secus atque ad actus firmandos minorum curatorem habentium istius *consensus* requirebatur, quoties ageretur de patrimonio minorum deminuendo. Pulcherrimum huius rei documentum extat in epigraphe Orelliana 3787, ubi descripta prostat pars commentarii quotidiani municipii Caeritum, in quo reperiebantur litterae datae a magistratu et decurionibus Curiatio Cosano curatori reipublicae, et huius responsio. Illi cum annuissent Vesbino cuidam petenti ut sibi locus publice daretur ad phretrion (seu curiam), pro Augustalibus extruendum, curatori scribunt: " Gratiae huic (Vesbino) „ actae sunt ab universis, placuit tamen tibi scribi an in hoc „ quoque et tu consensurus esses „. Ille vicissim reponit: " Ego „ non tantum consentire voluntati vestrae, sed et gratulari de„ bere etc. „ Quod si exquisita comitate adiecit: " Accedo itaque „ sententiae vestrae, non tanquam curator, sed tanquam unus ex „ ordine, *cum tam honesta exempla etiam provocari honorifica exorna„ tione debeant* „, non denegavit ius illud quod curatoribus adserui, sed subtiliter significavit non agi negotium eiusmodi *in quo periculum esset ne municipium deteriorem suam conditionem faceret.*

[1] Vid. Henzen dissert. cit. *Annali dell'Instituto di corr. arch.* 1851. Quod ad curatores attinet datos a Severo et Antonino, addendi sunt Postumio Mariano, quem ex Grutero (458, 8) Henzenus affert, etiam L. Dentusius Appoculinus (Orelli 3902) et C. Decimius Sabinianus (Rénier, *Mélanges d' épigraph.* pag. 43).

[2] Gruter. 381, 1.

Similiter in alia epigraphe [1] res quaedam acta Bovillis dicitur " consentiente curatore „, et in alia " firmante v(iro) e(gregio) curatore r(ei)p(ublicae) „ [2]. Quin etiam huc revocari potest inscriptio puteolana [3] in honorem Tannonii Boionii, in qua locus quidam datus dicitur *ex auctoritate curatoris*, et a duumviris adsignatus: cui inscriptioni similis alia est in eadem civitate posita sub coss. Commodo III et Antistio Burro, ubi mentio est curatoris reip. locum adsignantis et duumvirorum qui opus fieri curaverunt [4]. Satis autem compertum est *auctoritatis* vocem ad curatores etiam [5], nedum ad tutores, referri. Cum his quodammodo congruit, imo ex his illustratur quod dicitur a Diocletiano in L. 4 Cod. *Quib. ex causis minores* (II, 54): " Respublica minorum iure uti solet, „ *ideoque* auxilium restitutionis implorare potest „. Si in solo restitutionis auxilio consisteret similitudo inter minores et respublicas, adverbium *ideo* ineptissime illic fuisset adhibitum.

23. Iam si potestas curatoris circa reipublicae administrationem illi quodammodo similis erat quam curatores exercebant in administratione rei familiaris minorum XXV annis, facilis ratio redditur cur Ulpianus in fragmentis quae suppetunt ex libro *de officio curat. reip.* diligenter tractaverit de reipublicae debitoribus a quibus pecuniam exigere oportet [6], deque rescindendis ambitiosis decurionum decretis sive aliquem debitorem dimiserint, sive largiti sunt [7], aliisque huius generis, quae alicubi Digesta dicunt praestanda esse a praeside Provinciae [8], sed quae lector parum intelligit cur Ulpianus explicaverit inter officia curatoris reipublicae, si a praeside non ab isto fuissent agenda. Comperta autem, saltem generaliter, horumce officiorum natura, arduum non est

[1] Orelli 3701.
[2] Orelli-Henzen n. 6906.
[3] *C. I. L.* X, 1814.
[4] *C. I. L.* X, 1791.
[5] L. 1 § 14 ff. *ad SC. Trebell.* (XXXVI, 1); L. 8 ff. *de adoption.* (I, 7).
[6] L. 1 ff. *de pollicit.* (L, 12).
[7] L. 4 ff. *de decret. ab ord. faciendis* (L, 9).
[8] L 33 ff. *de usuris* (XXII, 1); L. 5 ff. *de oper. publ.* (L. 10).

causam divinari, cur huiusmodi curatores fuerint invecti. Solet quidem censeri, iuxta sententiam expromptam ab Eduardo Huschke [1], missos fuisse curatores ab imperatoribus propter sollicitudinem quam gerebant ut recte se haberet administratio bonorum municipalium, quae admodum negligebatur praesertim in oppidis Asiae. Fuerit: sed animadverto per istam curatorum creationem cumulum fuisse impositum aedificio illi quod auspicatus fuerat Augustus, quum monarchiam affectabat nomen regis devitans " *consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum* „: tum coepit " *insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere* „ [2]. Vix rei municipalis administratio civibus, olim rerum dominis, permissa erat, Traianus sollicitus de recta administratione non modo legatos et διορθωτάς mittere coepit in provincias ad ordinandum statum liberarum civitatum [3], sed rationem reperit, qua etiam municipalium *magistratuum munia in se traheret*, ut facile posset, quod tantopere Plinius effert, reconciliare aemulas civitates, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit, postremo velocissimi sideris more omnia invisere, omnia audire, et undecumque invocatum statim velut numen adesse et adsistere [4]. Ecquis non videt curatores nostros inter necessaria instrumenta fuisse huius (si fas est dicere) ubiquitatis, quae quantum benefica est in supremo Numine, tantum in eo qui se consulem et tribunum praeferebat dominatus absolutissimi studium portendit?

24. Ex his quae de officio curatorum civitatum disserui sponte sequitur, illud, licet praenobile, secundo tamen ac tertio imperii saeculo magistratum veri nominis non constituisse. Quare in quodam Gordiani rescripto legitur: " Curator reip. qui graeco voca-

[1] *Census und Steuerverfassung des früheren röm. Kaiserzeit* pag. 56 n. 112.
[2] Tacit. *Ann.* I, 2.
[3] Plin. *epist.* VIII, 24. Conf. Marquardt, *römische Verwaltung* I pag. 78 not. 1; Mommsen, *röm. Staatsrecht* II pag. 1036, 1037.
[4] Plin. *Paneg.* 80.

bulo logista nuncupatur mulctandi ius non habet „ [1]. Obiter heic animadvertam, vix credibile videri logistas iuxta primigeniam institutionem eosdem fuisse ac curatores civitatum. Distinguuntur enim duo officia in lapide Tarraconensi [2] in quo Tib. Candidus dicitur *logista civitatis splendidissimae Nicomediensium, item Ephesiorum*, et *curator civitatis Teanensium*. Reponi posset, civitates graeca lingua loquentes logistas vocasse curatores suos, ideoque duas appellationes in hac epigraphe distinctas fuisse. At si ita est, cur Antiochia curatorem habuit, velut Ammianus Marcellinus [3] testatur? Certe logistae nomine iam alii utebantur priusquam curatores civitatum ab imperatoribus mitti coepissent. Iampridem apud Athenienses logistae dicebantur XXXviri ad rationes publicae administrationis cognoscendas electi [4]. In quibusdam civitatibus ante Traiani aetatem [5] erant logistae inter officiales minores, qui videntur partem habuisse in censualibus tabulis conficiendis. Eidem fortasse fuerunt cum illis qui postea logographi dicti sunt, quippe qui eiusmodi aliquid videntur egisse donec Valentinianus I eos prohibuit [6]. Hinc fomes additus errori illorum qui curatores reipublicae munia quinquennalium obiisse putarunt [7]. Utcumque sit, repertum dici nequit pro curatoribus logistae nomen, sed iis aptatum fuit. Forsitan primum transferri coepit a XXXviris Atheniensibus ad eos qui mittebantur a Romanis imperatoribus *ad rationes* (liberarum) *civitatum putandas*, veluti missus est ab Hadriano in Syriam Pactumeius Clemens [8]. Ac sane in veteri graeca inscriptione quidam memoratur πεμφθεὶς εἰς Βιθυνίαν διορθωτὴς

[1] L. 3 Cod. *de modo mulctarum* (I, 54).
[2] *C. I. L.* II, 4114.
[3] *Hist.* l. XIV c. 7.
[4] Dittenberger, *Sylloge inscript. graec.* num. 14 pag. 29, 30.
[5] Sub Domitiano vide in Actis S. Sebastianae apud Bolland. Tom. VI, 7 Junii pag. 57: quoad tempus posterius v. Acta Ss. Didymi et Theodorae apud eosdem ad d. 24 April. Append. pag. LXIII.
[6] L. un. Cod. Theod. *Ne conlatio per logograph. celebretur* (XI, 4), et ib. Gothofr.
[7] Vid. sup. § 16, et Marini, *Atti de' fratelli Arvali* pag. 786.
[8] Orelli-Henzen 6483.

καὶ λογιστὴς ὑπὸ θεοῦ Ἀδριανοῦ [1]: curatores autem tunc dicebantur illi qui in municipia et colonias mittebantur ut essent ad instar curatorum qui minoribus natu dabantur. Dein labente tempore, Graeci etiam rerumpublicarum curatores propter officii similitudinem logistas dixerunt. Horum mentio non semel in graecis inscriptionibus reperitur [2].

25. Imperialis dignitatis amplitudo, cuius nomine curatores auctoritatem suam explicabant, et perseverantia officii quod non ad annum exercebatur, sed ad nutum delegantium, facile in causa fuit cur illi (velut isti in Urbe fecerant) paullatim magistratuum munia in se traherent. Hinc non miror (quod alii mirati sunt) curatores aliquando primas fere partes egisse in persecutionibus adversus Christianos [3], ac perfunctionem sui muneris existimasse rei publicae *administrationem*, ita ut saeculo quarto curator quidam reip. Sestinatium ponere monumentum posset *perpetuae lucis admenestrationis suae* [4]. Haec immutatio in curatoris officio profecto evenerat ante Constantinum; namque ille voluit eos dumtaxat sibi commendari ut curatores crearentur, qui muneribus omnibus in civitate functi essent vel aetatis excusationem haberent. Servavit tamen sibi ius eligendi [5], quod et Constantium fecisse liquet ex Philostorgio qui Montium hisce verbis loquentem inducit ad Gallum Caesarem, ut significaret nec maximos nec minimos honores ab imperatore conferendos in Galli potestate fuisse: " οὐδὲ λογιστὴν ἔξεστί σοι προχειρίσασθαι, καὶ πῶς ἄν πραιτωρίων ἔπαρχον ἀνελεῖν δύναιο „; i. e. " ne logistam quidem tibi licet eligere, et quomodo praefectum praetorio tollere valeres?„ [6]. Reliquos in imperio successores electionem curatorum sibi reservasse ex Cassiodorio licet arguere qui for-

[1] *C. I. Graec.* 4033.
[2] *C. I. Graec.* 2349, 2782, 3747, 3748.
[3] S. Optati, *de schismate Donatist.* libri VIII, Antuerpiae 1702 pag. 168 seqq.
[4] Orelli 1120.
[5] L. 20 C. Th. *de decurion.* (VII, 1).
[6] Philost. *Hist. eccl.* lib. III c. 27.

mulam refert qua conceptae erant litterae principis hoc officium conferentis [1].

26. Constantini circumspectio qua cavit ut illi soli curatores fierent, qui muneribus omnibus in civitate functi essent, non auxit sed depressit illius officii dignitatem. Vix est enim ut posset hoc pacto consularibus vel praetoriis viris, prout antea, demandari. Theodosianus Codex nos docet, tenuia quaedam munia illis fuisse concredita partim Valentiniani et Valentis, partim Arcadii, Honorii et Theodosii II constitutionibus, puta ut in actis suis exciperent declarationes privatorum qui volebant ut de veritate quorumdam factorum tempestive constaret, vel de iniuriis sibi illatis querebantur; item ut curarent explorari veritatem excusationis allatae ab iis qui scaenicam artem professi ab ea vellent recedere; ut iniurias irrogatas ecclesiis in notitiam iudicum per litteras suas deducerent, atque ut reos deprehensos in crimine sibique oblatos pariter ad iudices deferri curarent [2]: haec, inquam, levia munera eiusmodi non erant, ut curatorum dignitas extolleretur. Praesertim in imperio orientali hoc ministerium in communi existimatione admodum eviluit. Nimirum iurisdictio, qua pollebant duoviri et defensores civitatum, et qua carebant curatores, nobilior videbatur officio procurationis pecuniae municipalis. Propterea, quum Constantinus indulsisset ut insinuatio donationum recte fieri posset etiam apud curatorem civitatis [3], Theodosius II post annos fere centum derogavit huic constitutioni; statuit enim, ut in provinciis insinuatio fieret " apud provinciarum rectores, vel si praesto non „ fuerint, apud magistratus municipales, vel si civitas ea vel op- „ pidum in quo donatio celebratur non habeat magistratus, apud „ defensorem plebis in qualibet civitate fuerit repertus: curatores „ enim civitatum ab huiusmodi negotio temperare debebunt, ne

[1] *Varior.* VII, 12. Vide infra § 27.

[2] Cod. Theod. L. 20 *de fundis patrim.* (V, 13); L. 2 *de canone frument. u. R.* (XIV, 15); L. 1 *de scaenicis* (XV, 17); L. 31 *de episcop. eccles. et cler.* (XVI, 2); L. 3 § 1 *de superexation.* (XI, 8); L. 5 *de exhib. vel trasmitt. reis* (IX, 2).

[3] L. 3. C. Th. *de donat.* (VIII, 12).

„ tanta res eorum concidat vilitate „[1]. Video equidem F. Carolum Savigny nobilitatem officii curatorum ex hisce verbis arguisse, sed minime probari potest ipsius interpretatio, dum inquit " *tanta res* „ non si vuol riferire alle donazioni, ma alle incumbenze del cu- „ ratore, come *vilitas* non accenna alla picciolezza *dell'impiego*, ma „ alla avarizia e cupidità di molti individui. E di qui muove il „ divieto che si fa a' curatori d'ingerirsi per amor delle sportule „ in codesti affari secondarî trasandando il grave loro officio „[2]. Ergo digniores provinciarum Rectoribus, iuxta Savigny, curatores fuissent; et imperator profiteretur sese ad officia graviora eligere solere homines *viles* et cupidos pecuniae, cuius cupidi non praesumebantur alii qui leviora officia a municipibus credita gerebant! Nemo est qui non videat huius interpretationis levitatem.

27. Aliter se res habuisse videntur in Occidente. Illud omittam quod in actis Collationis Carthaginiensis apud Harduinum [3] curator eius civitatis viri clarissimi titulo honestetur; at sequiori etiam aetate suis mansit honos eiusmodi curatoribus in ipsa Italia. Nam Cassiodorius, qui fuit praefectus Praetorio an. 534 hanc tradit fuisse formulam litterarum qua Princeps curatores civitatum creabat: " Quamvis per se honorabilis habeatur „ qui vel minimam sollicitudinem civitati propriae videtur im- „ pendere, et inter suos magna reverentia perfruatur qui cives „ se amare professus est; tamen indubitatus honor est qui no- „ stra electione confertur; quia praeditus bonis institutis creditur „ cui aliquid Principis auctoritate delegatur. Et ideo ab indictione „ illa, illius civitatis curam ad te volumus pertinere, ut lauda- „ biles ordines Curiae sapienter gubernes, moderata pretia ab „ ipsis quorum interest facias custodiri. Non sit merces in pote- „ state sola vendentium; aequabilitas grata custodiatur in om-

[1] L. 8. Cod. Th. *eod.* quae licet Honorii quoque nomen praeseferat, data tamen est Constantinopoli.

[2] *Storia del dritto rom. nel medio evo*, trad. di Em. Bollati Tom. I, c. 6 § 15.

[3] *Concil.* Tom. I pag. 1049.

„ nibus. Opulentissima siquidem et hinc gratia civium colligitur, „ si pretia sub moderatione serventur, ut vere curatoris impleas „ officium cum tibi sollicitudo fuerit de utilitate cunctorum. „ Consuetudines autem tibi ex nostra auctoritate defendes, quas „ in eodem loco tuos constat habuisse maiores „ [1].

28. Communis sententia est curatores reipublicae saeculis V et VI post Ch. n. alio nomine fuisse vocatos *patres civitatum*, et quum Iustinianus in Novella 128 c. 16 istorum electionem permiserit suffragio Episcopi et primorum civitatis, putatur, electionem curatorum ex eo tempore ad Principes pertinere desiisse. Ratio huius sententiae fulcitur auctoritate Basilicorum, ubi *curator civitatis*, de quo meminit Paulus in L. 46 pr. ff. *de damno infecto* (XXXIX, 2), explicatur πατὴρ πόλεως; prout Cuiacius docuit, et modo ex epitome Tipuciti apparet [2]. Imo idem Cuiacius, qui habebat manuscripta Basilicorum quae modo desiderantur, testatur [3] curatorem quoque, de quo agit Alexandri rescriptum quod interpretamur, in Basilicis patrem civitatis vocari. Ast haec recte intelligenda sunt, ni velimus turpiter decipi; namque in L. un. Cod. *quib. muner. excusantur* (X, 55) probe distinguitur *patris civitatis munus* et *curatio reipublicae*. Prima mentio, quam sciam, eiusmodi patrum est in constitutione Leonis quae est L. 3 Cod. *de his qui sponte mun. suscep.* (X, 43) ubi eum, qui cum municeps non esset alicuius civitatis omnia decurionum munera vel functiones vel honores sua sponte peregisset, patrem civitatis, si vellet, fieri constituique decrevit. Utique in L. 2 Cod. *de debitorib. civit.* (XI, 32), quae Constantini nomen praesefert, pater civitatis memoratur; sed ea lex deprompta fuit ex L. 1 Cod. Theod. *de curat. Kalendarii* (XII, 11) quae praescribebat ut periculo huius curatoris et magistratuum pecunia municipalis collocaretur apud idoneos (scil. mutuatarios) vel dominos rusticorum praediorum.

[1] *Varior.* VII, 12.
[2] Basil. LVIII, 10 nota *e* prop. fin.; Heimbach Tom. V pag. 209.
[3] Cuiac. in Cod. lib. X, tit. 3 leg. 3.

Tribonianus eiusque socii ad patrem civitatis hoc onus a curatore Kalendarii transtulerunt [1].

29. Post Leonem meminit patrum civitatum Zeno imperator qui in L. un. Cod. *de ratiociniis operum public. et de patribus civitatum* (VIII, 13) opera publica et aquaeductus istorum curae permissa esse declarat. Alia illis concessit vel in iis agnovit iura Iustinianus in L. 3 C. *de infantib. expositis* (VIII, 52), in L. 1 C. *de aleatoribus* III, 43 (ubi perperam latina versio patres civitatum defensoribus synonymos facit), in L. 2 C. *publicae laetitiae* (XII, 64), item in Novella 17 c. 4 § 1, Nov. 85 c. 3, Nov. 128 § 16, Nov. 160 princ. Ex Novella autem 75 = 104 discimus electionem patrum civitatis (certe ante annum 545 quo edita est Novella 128), non secus ac defensorum, factam fuisse per decretum (ordinis ut puto, quemadmodum innuitur, licet obscure ex constitutione Leonis) et confirmatione imperiali indiguisse. Quapropter, omnibus perspectis, probabilius autumo patres civitatum sensim in curatorum locum subiisse, quam quod ea compellatio inducta sit ut curatores designaret.

30. Imo neque statim post Iustinianum factum esse reor ut curatores civitatum patrum nomine denotarentur; namque in antiqua versione et glossematibus scholiastarum veterum reperitur latinum nomen graeca forma signatum " ὁ κουράτωρ τῆς πόλεως " in L. 37 ff. *de pactis* (II, 14) [2]. Pater civitatis pro curatore est in compendio Tipuciti, a quo certum est Cuiacium hausisse versionem legis 46 ff. *de damno infecto*, ceu liquet ex collatione verborum mirifice invicem congruentium. Hinc etiam perquam credibile est in eodem auctore vidisse Cuiacium versionem graecam legis nostrae un. Cod. *de solut. et liberat. debit. civitatis*, quae modo cum in Basilicis tum in Tipucito desideratur et, Cuiacio testante, patrem civitatis pro curatore exhibebat. Iamvero nemo nescit indicem Stephani, unde hausta est versio legis 37 ff. *de*

[1] Vide sup. § 18.
[2] Basil. XI, 1, 37, et ibi schol. Heimbach Tom. I pag. 622, 623.

pactis, subiectaque scholia Stephani eiusdem, Cyrilli et innominati actate Leonis sapientis esse antiquiora[1]; opus autem Tipuciti (utpote compendium) libros Basilicorum iam ante perfectos supponere, adeoque recentius esse anno 886, quo Basilio successit Leo, qui Basilicorum opus perfecit. Patet ergo documenta graeca vetustiora et propiora Iustiniano adhuc nomen curatoris praeferre, recentiora vero quae sunt posteriora Basilio, patrem civitatis tanquam curatoris synonymon exhibere. Ceterum eiusmodi patres diu perduraverunt etiam in Italia, in ea scilicet parte quae Graecis imperatoribus suberat, eorumque patrum mentio fit usque ad saeculum XII in documentis editis a Marco Fantuzzi [2]. Imo exeunte saeculo XIII (an. 1292) nomina et agnomina reperiuntur ex ea compellatione exorta, puta " Parcitade de Parcitadis „ velut eodem Fantuzzi praeeunte Savignyus [3] notavit. Ast haec obiter dicta sint de patribus civitatum; ad curatores quod attinet, certum est ex his quae disserui, illos aevo Iustiniani pristinam appellationem retinuisse, et praefuisse pecuniae municipalis administrationi. Id satis est ut intelligamus cur de iis agatur in rescripto quod prae manibus habemus: praesertim si sumatur, velut oportet, tanquam documentum collectionis Iustinianeae. Utrum autem Alexander aliter scripserit, et vox *curatoris* heic surrogata fuerit voci magistratus, prout alicubi in Digestis factum vidimus [4], certe definiri nequit, licet prudenter dubitari possit, maxime ob mentionem factam in plurali numero: " *curatorum adsignantium* auctoritate subnixae sint „. At vero cum Triboniani emblema dilucide nequeat demonstrari, acrius non insistam ut illud heic delitescere contendam.

31. Officium aliud, de quo sermo est in rescripto quod declarandum suscepi, est *actoris*, et ad servum pertinet. Hic servus

[1] Conf. Heimbach, Basil. Tom. VI pag. 225.
[2] *Monum. Ravenn. de' secoli di mezzo* Tom. 3.
[3] *Storia del dir. rom. nel med. evo.* Lib. I cap. V num. 112 in fine, in nota.
[4] Vide sup. §. 18.

publicus dicitur licet minus proprie ; nam publica proprie intelligebantur quae erant populi romani, nihilominus hoc adiectivum aptabatur etiam rebus civitatum, uti docet Ulpianus in LL. 15 et 17 pr. ff. *de V. S.* (L, 16). Privati quoque homines servos actores habebant, atque eos ita vocabant quos rerum suarum administrationi praefecerant, maxime ut rationes accepti et expensi conficerent, ac recte haberent. Hinc Ulpianus, explicans quomodo in crimen servi corrupti quis incidat, hoc utitur exemplo: " si „ actori suasit verbis sive pretio, ut rationes dominicas interci- „ deret, adulteraret, vel etiam ut rationem sibi commissam tur- „ baret „ [1]. Proinde hoc crimen in servum actorem admissum severissime puniendum dicit Paulus, non secus atque admissum in hominem eiusmodi " ut non ad solam iacturam adversus substantiam, sed ad totius domus eversionem pertineat „ [2]. Atqui Ulpianus dum monet in legato generis (puta : do lego Titio servum) non posse legatarium *optimum* eligere, id demonstrat auctoritate Severi et Antonini, qui rescripserunt " homine legato, actorem non posse eligi „ [3]. Adeo pretiosa videbatur sollertia et integritas, qua servum actorem praeditum esse oportebat, et praesumebatur!

32. Declaratis iis vocabulis quae officium aliquod exprimebant, restat ut nonnihil dicam de aliis duobus quae ambiguam habent in iure significationem. Cautio ut plurimum designat actum solemnem quo quis alterum securum reddit de praestatione facienda, sive promittens per stipulationem simplicem, sive etiam datis fideiussoribus. Hinc dicitur cautio *iudicatum solvi*, cautio *damni infecti* etc. Saepenumero ea vox sumitur pro documento scripto quo quis se debitorem profitetur alterius ob aliquam causam quae in ipso documento exprimitur [4]. Exempla prostant in Digestis

[1] L. 1 § 5 ff. *de servo corrupto* (XI, 3).
[2] L. 21 ff. *de officio praesidis* (I, 18).
[3] L. 37 pr. ff. *de legatis* 1. (XXX).
[4] L. 20 ff. *de pign. et hyp.* (XX, 1); L. 4 Cod. *de non num. pecun.* (IV, 30); Paul. *R. S.* II, 31 § 32; III, 6 § 59; V, 16 § 1.

L. 40 *de reb. cred.* (XII, 1), L. 24 *de const. pec.* (XIII, 5). Nonnunquam vero cautio est professio scripta pecuniae a debitore solutae, quae professio a creditore fit [1], ac proprio nomine apocha vocatur [2]. Talis est cautio de qua nobis est agendum, quae quomodo fieret, mox ope apocharum pompeianarum videbimus. Vix monere est opus, aliquando vocem cautionis generaliter utramque significationem professionis debiti, et solutionis complecti [3].

33. Vox *assignantium* quae in Alexandri rescripto legitur veteris glossae auctorem in errorem induxit; nam quum imperator dixerit cautiones servi actoris securitatem debitoribus praestare si curatorum *assignantium*.... auctoritate subnixae sint, sic vocem illam glossa explanavit: " Assignantium servos ad scribendum; vel „ dic pecuniam, quia recipiunt et assignant reponendo; sunt „ enim duo necessaria, curatorem recipere, et cautionem fieri cui „ subscribat curator, ut sup. de conv. fisci debit. L. 2 „. Magis scite Cuiacius scripsit, hac lege caveri " ut apochae actorum rei- „ publicae securitatem debitoribus non praestent, nisi factae sint „ auctore, et *apochis assignante* curatore reipublicae vel Kalen- „ darii [4]. De hac assignatione, seu de appositione signi secus signum illius qui scripsit, loquutus est Scaevola in L. 20 ff. *de auct. et consensu tut.* (XXVI, 9) ubi legitur: " Inter pupillos pa- „ ternae haereditatis divisio facta est praesente tutore, sed non „ assignante instrumento divisionis: quaesitum est an ei stari „ oporteret? Respondit, si tutor auctor fuisset, non idcirco mi- „ nus standum esse divisioni, quod non assignasset „.

34. Exemplum quod rem nostram propius attingit est in L. 126 § 2 ff. *de verb. obl.* (XLV, 1) ubi Paulus cautionem affert, sed primi illius generis quod diximus continuisse professiones contractae obligationis. Hanc scripserat servus actor, eique subscrip-

[1] L. 32 § 1 ff. *de adm. et peric. tut.* (XXVI, 7.); L. 16 C. Th. *de susceptor.* (XII, 6).
[2] L. 19 § 1 ff. *de acceptilat.* (XLVI, 4).
[3] L. 82 in fine ff. *de condit. et demonstr.* (XXXV, 1); L. 27 pr. ff. *de furtis* (XLVII, 2.); Paul. *R. S.* V, 25 § 5.
[4] Cuiac. in Cod. lib. XI tit. 40.

serat et adsignaverat dominus. Agitur de obligatione contracta *simul utroque* (re et verbis), ut ait Modestinus L. 52 pr. ff *de obl. et act.* (XLIV, 7). En verba: " Chrysogonus Flavii Candidi servus „ actor scripsi coram subscribente *et assignante* domino meo ac- „ cepisse eum a Iulio Zosa rem agente Iulii Quintiliani absentis „ mutua denaria mille, quae dari Quintiliano heredive eius ad „ quem ea res pertinebit kalendis Novembribus, quae proximae „ sunt futurae, stipulatus est Zosas libertus et rem agens Quinti- „ liani, spopondit Candidus dominus meus „. Sequitur alia clausula de promissione usurarum solvendarum ex mora. Demum Paulus subiicit: " subscripsit et dominus „; quae verba perperam, ut puto, in pluribus editionibus ita scripta sunt quasi partem cautionis efficiant.

35. At exempla cautionum quae praeprimis illustrant rescriptum propositum reperiuntur, ut innui, in tabellis ceratis Pompeianis, quarum undecim conscriptae sunt a servo coloniae Pompeiorum qui profitetur solutiones factas a debitoribus civitatis. Haec documenta ut plurimum triptycha sunt; tribus nempe tabellis constant, quae in margine extremo per longitudinem duo habent foramina ut ope funiculi illac transmissi iungi possint: hinc sex pagellis, idest superficiebus tabellarum, constare dicuntur. Scriptio autem sic procedit ut longitudo singulorum versuum tabellarum longitudinem sequatur, atque ita, triptycho patefacto, scriptura, quae replet paginam secundam primae tabellae, naturali decursu ad paginam primam tabellae alterius descendat. Duae tabellae primae arctius inter se iungi poterant ope lini circumacti per cavitatem quae mediam secat faciem extimam tabellae secundae, et involuto lino cera replebatur, in qua signa imprimebantur. Simile quidpiam servatum fuit in tabulis negotiorum repertis in metallis Transylvaniae anno 1855; namque in iis documentis tabula prima et secunda lino et signis erant clausae, tertiae lino tantum cum iis iungebatur, sed ita ut facile removeri posset, et scripturam exteriorem perviam legentibus faceret.

36. Reliqua melius intelligentur ex descriptione Iulii de Petra qui primus pompeianas tabellas vulgavit. " Le due tavolette „ estreme hanno la faccia esterna (pag. 1, 6) destinata per co- „ vertura, e quindi senza cornice e senza cera, mentre la faccia „ interna (pag. 2, 5) l'hanno incerata e chiusa da una cornice ri- „ levata. Queste due pagine servivano, l'una (la 2ª) pel principio „ dell'atto autentico, l'altra (la 5ª) per l'estratto, o seconda copia „ dell'istromento medesimo. Finalmente la tabella di mezzo ha „ l'una faccia (la 3ª) pel complemento dell'autentica, e l'altra „ faccia (la 4ª) è per i nomi, ed i suggelli dei testimoni „ (videbimus tamen non semper testium haec nomina et signa fuisse). — „ Ne' trittici di Pompei la 4ª pagina è sempre dall'incavo pei „ suggelli divisa in due parti eguali, e, salvo poche eccezioni, non „ è incerata; perciò i nomi de' testimoni sono scritti coll'inchiostro „ direttamente sul legno, e nella sola colonna a dritta, rimanendo „ vuota quella a sinistra. Poche volte però i nomi de' testimoni „ riempiono, come ne' diplomi militari, entrambe le colonne, cioè „ il prenome ed il nome a sinistra, il cognome a dritta dei sug- „ gelli, ed allora la pagina è sempre incerata e chiusa da una „ cornice. Più di raro vedesi riempita la colonna a sinistra col „ secondo esemplare dell'atto, sicchè in tal caso la terza tabella „ rimanendo senza alcuno scritto, serviva unicamente per cover- „ tura ai suggelli, e le pagine scritte erano tre. Tutto all'oppo- „ sto di quello che vedesi in pochi libelli, in cui oltre delle solite „ quattro pagine scritte, vi è una delle facce della covertura che „ porta scritto coll'atramento un cenno dell'atto „ [1].

37. Comperta tabellarum compositione et forma, id quod in iis cautum ac comprehensum fuit videamus. Pleraeque exhibent apochas datas a nonnullis pro quibus L. Caecilius Iucundus, penes quem tabellae asservabantur, auctiones fecerat; atque istae quidem ad rem nostram non attinent. Aliae vero continent apochas pecu-

[1] De Petra, *Le tavole cerate di Pompei* pag. 4.

niarum solutarum ut plurimum ab eodem Iucundo coloniae Corneliae Veneriae, id est reipublicae Pompeiorum. Inter hasce postremas eligam potissimum eam quae in serie Iulii de Petra numerum habet 124, et scripta fuit XIV Kalendas Iulias anno 59 post Ch. n., atque ita se habet in pag. 2 et 3 :

pag. 2

L. Veranio Hupsaeo, L. Albucio
Iusto duumviris iure dic[*undo*]
XIII K[*alendas*] Iulias
Privatus coloniae Pompeian[*orum*]
ser[*vus*] scripsi me accepisse
ab L. Caecilio Iucundo
sestertios mille sescentos
septuaginta quinque

pag. 3

nummos et accepi ante
hanc diem, quae dies
fuit VIII idus Iunias, sest[*ertios*]
mille nummos ob
vectigal publicum pasquo[*rum*].
Act[*um*] Pom[*peiis*]
C. Fonteio C. Vipstano cos.

pag. 4 (secus loca signorum quae medium locum obtinent)

L. Verani Hypsaei
Privati c. c. V. C. ser.
L. Albuci Iusti
Privati c. c. V. C. ser.

(id est *colonorum coloniae Veneriae Corneliae servus*)

pag. 5

L. Veranio Hupsaeo, L. Albucio Ius[*to*]
d[*uumviris*] i[*ure*] d[*icundo*] XIV K[*al.*] Iul[*ias*]
Privatus c. c. V. C. ser[*vus*] scripsi me
accepisse ab L. Caecilio Iucun[*do*]

HS ∞ DCLXXV, et accepi ante
hanc diem, VIII idus Iunias
HS ∞ num[*mos*] ob vectigal publicu[*m*]
pasquorum.
Act[*um*] Pom[*peiis*]
C. Fonteio C. Vips[*tano*] cos.

De habitu et mensura huius triptyci ait De Petra: " Trittico quasi „ intero, millimetri 125 per 112 — 1ª e 2ª pagina covertura, „ 2ª 3ª 4ª e 5ª incerate „ [1].

38. Facile intellectu est quam bene hoc documentum rescripto Alexandri respondeat. Imperante Nerone nondum curatores civitatum erant, et pecuniam coloniae duoviri utpote supremi magistratus administrabant. Eorum nomina praeponuntur ad solemnem indicationem anni, quamvis in fine, communioris intellectus causa, scribantur Romani consules. Eorumdem duumvirorum nomina erant secus signa, adeoque genitivo casu declinata, indicabant enim cuius proximum signum esset. Similiter positum erat ac denuo repetitum (forsan ut extrema pars lini sub signo esset) nomen servi actoris qui scripsit. Mirabitur fortasse quispiam, servum annulo usum fuisse, quum Tertullianus enarret eos, post manumissionem veste alba et annulo a patronis fuisse donatos [2]. At vero hoc donum erat antiquitatis vestigium. Ateius enim Capito qui sub Augusto floruit ita scripsit: " Veteres non ornatus sed signandi causa annulum „ secum circumferebant. Unde nec plus quam unum habere *li-* „ *cebat*, nec cuiquam *nisi libero*, quod eos solos fides deceret, quae „ signaculo continetur, ideo ius annulorum famuli non *habebant* „ [3]. Quum iurisconsultus haec referat tamquam praeterita, quae apud *veteres* obtinuerant, non obscure significat alium fuisse morem aetatis suae. Paullo quidem serius, sed primo adhuc volvente

[1] Op. cit. pag. 77.
[2] Tertull. *de resurrect.* c. 57.
[3] Apud Macrob. *Saturn.* lib. VII c. 13

saeculo post Ch. natum, Plinius de annulis servorum scribebat: " Nec non et servitia iam ferrum auro cingunt; alia per sese „ mero auro decorant „ [1].

39. De repetita professione solutionis quae in pag. 5 libelli legitur, plura disseruit Theod. Mommsen in scriptione periodica quae inscribitur *Hermes* an. 1877 tom. 12 pag. 119, 120. Eius lucubratio in italicum sermonem versa edita est in commentariis diurnis queis titulus: *Giornale degli scavi di Pompei, Nuova serie* an. 1879 n. 28. Ratus est ille duo diversa probationum genera constituta fuisse per exemplar internum et externum: " la forza provante di quello consisteva nei suggelli, „ di questo nell'autografia „ (ibi pag. 95). Verum " dove l'ac- „ cettilazione non poteva aver luogo „ (prout evenire oportebat in professione peractae solutionis) " tornavano quasi lo stesso „ la quitanza chirografaria e non chirografaria „ (ib. pag. 96). Cur ergo sine necessitate duo fiebant exemplaria? Quid quod utrobique Privatus noster diserte monuit " *scripsi me accepisse?* „ Ergo chirographaria probatio in utroque sita erat. Ut huius repetitionis ratio intelligatur, recolenda sunt postrema verba senatusconsulti sub Nerva conditi, de quo loquuntur Suetonius *in Nerone* c. 17, et Paulus *Rec. Sent.* V tit. 25 § 6. Hic enimvero scripsit: " Amplissimus ordo decrevit eas tabulas, quae pu- „ blici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis te- „ stibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem „ perforatae triplici lino constringantur, atque impositae supra li- „ num cerae signa imprimantur, ut exteriores scripturae fidem „ interiori servent [2]. Aliter tabulae prolatae nihil momenti ha- „ bent „.

40. Quamvis documenta nostra censurae illius Scti obnoxia non essent, tamen, uti recte observavit de Petra, " che la norma

[1] *Hist. nat.* XXXIII c. 6.

[2] Perperam Huschke et Krueger emendaverunt: « ut exteriori scripturae fidem interior servet ».

„ stabilita dal Senatoconsulto non fosse altro che la conferma „ di un uso precedente, apparisce dal più antico diploma mili- „ tare che è dell'anno 52 p. C. ed è serbato nel museo di Na- „ poli „ [1]. Notat ille quidem: " i libelli di Pompei dimostrano „ alla lor volta che quest'uso non era generale, perchè essi non „ hanno altri fori che quelli della legatura, e il filo della chiu- „ sura invece di attraversare le tavolette era semplicemente „ ravvolto intorno ad esse „ [2]; verum si rei substantiam non adiuncta accidentalia spectemus, dicendum est et ante Sctum et postea in iis documentis quae directe ab eo non percellebantur, cives ad praecavendam falsi suspicionem consuevisse illa occludere et signare, ut, quum proferenda forent in iudicio, nulli essent obnoxia exceptioni. Ast interim si iudicium non fieret (non enim pro omnibus negotiis civilibus controversiae iudiciales oriuntur, quod sane esset longe miserrimum) et opus esset consulere documentum ut veritas patefieret, fuissent ne incidenda vincula et signacula infringenda? Minime, dummodo praesto fuisset exemplum documenti non occlusum. Et hoc praestabat scriptura exterior, quae ideo necessaria erat, *ut servaret fidem interiori*, idest suppeditaret volentibus notitiam documenti, quin integritas violaretur interioris scripturae, quae servabatur pro die periculi, si forte res esset in iudicium deducenda.

41. Utriusque duumviri nomen praefert etiam libellus Pompeianus 125, omnium huius generis antiquissimus, quippe ad an. 53 recup. salutis pertinet. Hic tamen diptychus est et sic habet in duabus pagellis internis:

[*Q. Coelio*] Caltilio Iusto, L. H[*el*]vio
Blaesio Proculo IIvir[*is*] i. d.
pr. idus Martias
Secundus [*colonoru*]m coloniae

[1] Op. sup. cit. pag. 5.
[2] Ibid. pag. cit.

[*Vener*]iae Corneliae servos
accepi a Terentio Primo
HS DCCLXXVI reliquos ob avitum [*et*]
patritum fundi Rudiani
nomine Itali Iuventi

iussu Caltili Iusti
Helvi Procu[*li*]
Act. Pompeis
D. Iunio Torq[*uato*] Silano
Q. Haterio Antonino cos.

In extima facie tabellae secundae post locum signorum nomina sunt: Secundi c. c. [*V. C. servus*], L. Helvi Blaesi, Q. Coeli Iusti, [*C*]n. Popi[*di*]. Nomen aliud quod sequebatur legi nequivit. Erat forsitan testis alterius. Ante cavitatem cerae excipiendae signisque destinatam, exemplar externum documenti conscriptum litteris et lineis ab alto ad imum pergentibus ita sonat:

Q. Coelio Caltilio Iusto, L. H[*elvio Blaesio*]
Proculo IIvir[*is*] i. d. pr[*idie*] idus Mart.
Secundus c.c. V.C. ser[*vus*] scripsi me accepisse ab
P. Terentio Primo HS DCCLXXVI reliquos
ob avitum fundi Rudiani et accepi
ante hanc diem HS $\overline{\text{V}}$ CCXXIIII
act. Pompeis
[*D.*] Iunio Silano Q. Haterio Antonino cos.

42. In explicanda debendi causa " *ob avitum et patritum fundi Rudiani* „ cl. de Petra ad ea se retulit quae ipsum docuerat Th. Mommsen. Quum autem hic non omne punctum tulisse videatur, operae pretium puto nonnihil ab incepto cursu deflectere, et in re satis obscura illustranda aliquantisper immorari. Protulit quidem commode Mommsenus epigraphem Ferentinatem his conceptam verbis [1]: " hic ex s[*enatus*] c[*onsulto*] fundos Ceponian[*um*] et

[1] Grut. 461 (= *C. I. L.* X, 5853).

„ Roianum et Mamian[*um*] et pratum Exosco ab r[*e*] p[*ublica*] re-
„ dem[*it*] HS. LXX m[*illibus*] n[*ummum*] et in avit[*um*] r[*ei*] p[*u-*
„ *blicae*] reddid[*it*], ex quorum reditu de HS. IV m[*illibus*] CC quod-
„ annis VI Id. Mai die natal[*i*] suo perpet[*uo*] daretur „ etc. (tum sequitur designatio eorum quibus ea pecunia distribuenda esset). Hac vero proposita epigraphe Mommsen sic pergit: " Abbiamo qui „ evidentemente una di quelle donazioni di vendita che hanno „ avuto sì larga parte nella vita dei municipî ai tempi dell'im-„ pero. La base di esse è sempre che un fondo appartenente al „ comune vien gravato d'un canone fisso che ciascun possessore „ del fondo deve pagare al comune, e questo deve impiegare quel „ canone ad uno scopo determinato. È poi indifferente che la co-„ stituzione della rendita sia fatta dal donatore col cedere un „ proprio fondo al comune e col riprenderlo da questo in seguito „ a titolo d'enfiteusi, come fece Plinio (*Epist.* VII, 18), ovvero „ comprando a prezzo del capitale chi vuol donare un fondo di „ proprietà del comune (ovvero acquistandolo da altri a tal fine) e „ poi restituendolo gratuitamente allo stesso comune sotto la condi-„ zione che debba darsi in enfiteusi per un canone corrispondente „ del capitale sborsato, come ha fatto il donatore di Ferentino „ (nam HS 4200 qui solvendi erant quotannis respondent usuris semissibus capitis 70, 000 sestertiorum). " Coll'una e coll'al-„ tra procedura, col dono di una rendita, o col dono del capitale „ ne deriva al comune una proprietà limitata per un'enfiteusi „ inalterabile. Apprendiamo dai documenti di Ferentino e di Pom-„ pei che la denominazione tecnica di quest'alto dominio del co-„ mune era nell'antico linguaggio giuridico *avitum*, e forse anche „ *avitum et patritum* „ [1].

43. His constitutis adiicit, " che *patritus et avitus* presso i Ro-„ mani significa un antico ed assodato possesso „ (quod probat verbis Tullii " *patritam et avitam, ut ait Theophrastus, philosophiam* „ [2].

[1] *Giornale degli scavi di Pompei* sup. cit. pag. 99.
[2] Cic. *Tuscul.* I, 19, 45.

ac Varronis " *patrito et avito more precabamur* „), [1] "e che in certi casi „ almeno nel *ius praediatorium* andavano annessi al possesso ere- „ ditario di un fondo speciali privilegi. Dal che ha potuto forse „ derivare l'uso piuttosto del linguaggio comune che tecnico di „ attribuire il *ius patritum et avitum* all'*ager vectigalis* locato a per- „ petuità, o venduto per un canone fisso; perchè il livellario av- „ vicinandosi in fatto al proprietario, si solea dimostrare che ciò „ non ostante il Comune conservava la piena proprietà, e quindi „ se si cedeva a lui un fondo con un tal canone, si diceva aver „ egli fatto un acquisto *in avitum* „ [2]. Quod dixerat de privilegiis possessionis hereditariae fundorum sic probat in nota: " Legge „ agraria (*Corp. Inscr. Lat.* I pag. 813, 28): *Tantidem pro patrito* „ *redemptum habeant, p(ro) p(atrito) supsignent.* Nel diritto civile „ non vi ha segno di simile prerogativa, se si eccettui la defini- „ zione della prodigalità, la quale si fonda sulla dilapidazione dei „ *bona paterna avitaque* (Paulus *sent. rec.* 3, 4, 4*a*, 7) „.

44. Quamvis haec Mommseno placuerint, duo tamen mihi manifesta videntur: I Quod in apocha Pompeiana adiectivis duobus *patrito* et *avito* nullum aliud substantivum queat subintelligi quam *vectigal*; vectigalia enim reditum civitatis constituebant. Sic in tabella 124 scriptum fuit: *ob vectigal publicum pasquorum* [3]. II Quod iuxta usum iuris haec adiectiva etiam fundis aptabantur, nam *patritum* legis agrariae ad fundum referri ne ipse quidem Th. Mommsen negat. Ac merito istorum fundorum peculiarem curam legislator agebat; nam cum Gracchi leges agitarentur, possessores " quidam et sepulchra patrum in terra, et divisiones in sortes „ hereditarias tanquam paternas (διαιρέσεις ἐπὶ τοῖς κλήροις ὡς πατρῴοις) „ .... ostendebant „ [4], sive, ut Florus ait, " *relictas* sibi *a maioribus* se- „ des aetate quasi (al. *inserunt* hereditario) iure possidebant „ [5]. Tul-

[1] Apud Nonium pag. 161.
[2] *Giorn.* cit. l. c.
[3] Vide sup. § 37.
[4] Appian. *Bell. civ.* I, 10.
[5] Flor. *epit.* II, 1.

lius in orat. 2 contra Rullum c. 2 negat fas esse fundos adsignatos melioris esse conditionis quam paternos et avitos. Nam quum Rullus ita legem tulisset: " Quae post Mucium et Carbonem „ consules agri, aedificia, lacus, stagna, loca, possessiones publice „ data, adsignata, vendita, concessa sunt, ea omnia eo iure sunt, „ ut quae optimo iure privata sunt „, orator sic instat: " Etiamme „ meliore, quam *paterna et avita*? Meliore. At hoc Valeria lex non „ dicit, Corneliae leges non sanciunt, Sulla ipse non postulat.... „ Ita latum est ut melior tui soceri fundus Hirpinus sit, sive ager „ Hirpinus, totum enim possidet, quam meus *paternus avitusque* „ fundus Arpinas „.

45. Quare, omissis Theophrasto et Varrone, qui dumtaxat ostendunt *patritum* paterni synonymon esse, dicemus iuxta Tullium, iuxta agrariam legem, et formulam praetoris prodigo interdicentis, epitheta *aviti* et *patriti* fundis applicita eos significare qui ab avis et patribus in filios et nepotes transmittuntur. Quare si ad ignota ex notis gradum facere decet, dicemus etiam vectigal *avitum et patritum* illud esse quod ab avis et patribus in posteros transfertur. Atqui hoc veterum moribus optime convenit. Nam " vectigales agri sunt obligati quidam reip. pop. rom., quidam „ *coloniarum* aut *municipiorum*.... vectigalibus subiecti sunt, alii per „ annos [deest forte quinos], alii vero mancipibus ementibus, id est „ conducentibus in annos centenos „[1]. Sunt tamen quaedam in " prae- „ diis municipum quae ea lege locantur (sive ut ait Iustinianus *perpetuo fruenda traduntur*) ut quamdiu inde vectigal praestetur „ neque ipsi conductori, neque *haeredi eius* praedium auferatur „ [2]. At lapis Ferentinas diserte ait, ex avito pecuniam dari *perpetuo*; ergo et ex hac voce, et ex analogia cum iis quae praedicantur de fundis patritis et avitis, credendum est Italum Iuventium qui in Pompeiana tabella memoratur habuisse fundum Rudianum vec-

[1] Hygin. *de condit. agror.* edit. Lachmann pag. 116.

[2] Gaii *Inst.* III, 145; Iust. *Inst.* § 3 *de locato cond.*, et L. 1 ff. *si ager vectigalis* (VI, 3).

tigali perpetuo obnoxium. Imo si in significatione scrutanda locutionis obscurae, vis verborum queis constat potissime spectanda est, simulque si ex iis quae postea contingerunt ad ea quae fuerunt olim per coniecturas licet conscendere, procul a vero haud aberit qui putaverit, ius vectigalis de quo hic agitur simile fuisse ei generi emphyteusis quod apud nostrates celebratum superioribus saeculis *ex pacto et providentia* dicebatur. Reor equidem Mommsenum deceptum fuisse ea dictione epigraphae Ferentinatis "*in avitum reipublicae reddidit* „; sed quid vetat per ea verba intelligi " reddidit reipublicae, constituendi causa vectigalis quod *avitum patritum* vocatur? „ Alioquin cavendum est ne videamur fingere, colonias veteres habuisse reditus hereditario iure a patribus et avis ad se transmissos.

46. Reliquae ex Pompeianis tabellis, quae apochas solutionum continent a servo coloniae conscriptas, non ambos, sed alterum e duumviris adsignantem praeseferunt. Ac sane necesse non erat utrumque concurrere ut actus potestatis proprius explicaretur. Sic in lege municipii Malacitani c. 64 legimus: " IIvi- „ ris qui ibi iuri dicundo praeerunt *ambobus alterive eorum* . . . . „ ius potestasve esto „. Saepe aliorum nomina sequuntur qui vel publicum aliquod gerebant officium, vel simpliciter testimonii causa fuerunt adhibiti; semel tamen accidit, ut libellus daretur sine magistratus adsignatione; qui libellus (num. 127) nobis magni pretii est; nam si alii demonstrant quomodo apocha fieri debuisset, hic exhibet, licet admodum corruptum, documentum illi persimile quod Alexandri rescripto praebuit occasionem. Scilicet in facie externa prope locum sigillorum legitur solius servi nomen bis repetitum sic " Privati c[*olonorum*] c[*oloniae*] Vener[*iae*] C[*orneliae*] ser[*vi*] „. Opportune notavit Mommsen: " Il de- „ bitore poteva senza dubbio rifiutarsi a pagare, se non gli si „ fosse contemporaneamente rilasciata la ricevuta regolare; ma „ si comprende di leggieri, ed è pur indicato nell' ordinanza d'A- „ lessandro, come spesso, anche nell'assenza dei duoviri, si pagasse

„ all'*actor*, accontentandosi di una quitanza rilasciata da lui solo, „ quale ci è offerta dal num. 127 „ [1].

47. Hisce perspectis, arduum non erit propositi rescripti rationem agnoscere. Liberare debitorem excipiendo solutionem secumfert alienationem obligationis [2]. Plane servus actor ius alienandi obligationes activas municipii habere non poterat. Ergo quum debitor promeret solam scripturam actoris suscipientis pecuniam, id ei prodesse non poterat ad liberationem. Accedente auctoritate supremi magistratus vel eius, puta, quaestoris, cui lex permisisset liberare debitores qui solvebant, eaque auctoritate iuxta usum antiquissimum significata ope adsignationis, necesse erat debitorem liberari. Atque heic notandum est, quomodo iuxta pleniorem formulam antiquam [3], actor nominatim exprimeret " accepi.... iussu Caltili Iusti, Helvi Proculi (duumvirorum) „. Quum curatores sensim iura magistratuum essent adepti [4], curatoris auctoritas sufficere visa est. Utrum id factum iam fuerit aetate Alexandri, certo affirmare non licet. Liceret utique si sciremus Codicis conditores nihil hic immutasse. Verum etsi credatur rescriptum integrum servatum esse; putandum tamen non est, eo tempore antiquam magistratuum potestatem hac in parte sublatam fuisse: quare ea verba " vel eorum quibus exigendi ius est „ non modo ad curatorem Kalendarii, si forte erat Fabrateriae, sed etiam ad ipsos IVviros commode possent referri.

48. Deficiente magistratus vel curatoris adsignatione non semper debitor ad iteratam solutionem adigebatur. Nam pecunia servo municipii soluta propria municipum fiebat: " quod servi „ nostri mancipio accipiunt vel ex traditione nanciscuntur. . . . . „ vel ex alia qualibet causa acquirunt, id nobis acquiritur „ [5]. Res

[1] *Giornal.* sup. cit. pag. 95.
[2] Gai. II, 84.
[3] Vid. sup. § 41.
[4] Vid. sup. § 30.
[5] Gai. II, 87.

itaque incidebat in casum illi similem qui eveniebat quum solutio pupillo fieret quin tutoris auctoritas intercederet. Tunc enim " si debitor pecuniam pupillo solvat, facit quidem pecuniam pu„ pilli, sed ipse non liberatur quia nullam obligationem pupil„ lus sine tutoris auctoritate dissolvere potest, quia nullius rei „ alienatio ei sine tutoris auctoritate concessa est. Sed tamen si „ ex ea pecunia locupletior factus sit et adhuc petat, per excep„ tionem doli mali submoveri potest „ [1]. Ideo ius receptum in causa pari recte ad speciem propositam translatum Alexander significans addit: " ea tantum defensio consuevit admitti, si quod „ exsolutum est rationi reipublicae profecisse doceatur „. Quid si rationi reipublicae non profecerat? Adhuc tamen spem esse dicit imperator, si dum debitor ex nimia bona fide peccaverat pecunia ex fraude servi actoris periisset, tunc enim iustitia poscebat ut iste prius teneretur de peculio suo satisfacere. Hoc autem fieri iure iudicioque necesse non erat; sed ipse curator utens potestate quasi dominica id praestare poterat expeditissime.

49. Quod si facere ille noluisset, et adversus debitorem actio fuisset instituta, indubium est ius debitoris opponendae compensationis usque ad vires peculii eiusdem servi, prout responderat Papinianus in L. 19 ff. *de compensat.* (XVI, 2), ubi haec leguntur: " Debitor pecuniam publicam servo publico citra voluntatem eo„ rum solvit quibus debitum recte solvi potuit: obligatio pristina „ manebit; sed dabitur ei compensatio peculii fini quod servus „ publicus habebit „. Ne mireris Papinianum non distinguere utrum servi fraus intervenerit an non; nam si iste pecuniam accepit, neque in arcam publicam intulit (quo facto certe profecisset rationi reipublicae), vix est ut excogitari possit eum fraude fuisse expertem. Heic vero facere non possumus quin merito admiremur veterum nostrorum diligentiam ut in neutram partem iustitiae libra propenderet. Nam dum sedulo caverunt ut rite a privatis satisfieret pro debitis queis tenebantur erga rempublicam, omnibus

[1] Idem II, 84. Conf. L. 4 § 4 ff. *de doli mali et met. except.* (XLIV, 4).

iuris praesidiis eos muniverunt, ne duplici solutione gravarentur ex fraude illorum, qui in exigendis pecuniis suum reipublicae praebebant ministerium.

50. Obiiciet fortasse quispiam omnes has ambages vitari potuisse, et omnia pericula averti, si debitor ipsimet magistratui solvisset, vulgo enim traditur a civitatibus et collegiis factum videri, quod fit ab iis qui illorum personam gerunt. Tales autem existimantur magistratus fuisse quoad municipia et colonias. Si magistratum pigebat apocham scribere, potuisset uti opera servi, qui significaret duovirum accepisse pecuniam. Sat erat si iste subscriberet, quod omnino ceteroquin ab eo agendum erat etiam in hoc longiore processu, quod in tabellis Pompeianis et in Alexandri rescripto legimus fuisse servatum. Equidem fateor me semper timuisse ne non verum fuerit iure antiquo quod de personarum iuridicarum repraesentantibus solet praedicari, maxime propter Ulpiani verba " nec municipia nec municipes heredes institui pos„ sunt, quoniam incertum corpus est, et neque *cernere universi*, „ neque pro herede gerere possunt ut heredes fiant „ [1]. Inepta haec ratio esset, si quidquid magistratus pro suo munere gerit ab ipso municipio gestum censeretur. Veritas potius in eo est quod, exceptis locationibus et venditionibus, et aliis quibusdam contractibus quos lex civitatis iniri a magistratibus vice et nomine reipublicae permittebat [2], in reliquis nec obligare rempublicam poterant, nec ei obligationem activam vel aliquam rem acquirere propter generalia principia quae statuunt neminem ex alterius contractu obligari, neminem liberum accipiendo vel contrahendo alteri rem vel actionem acquirere [3]. Ideo si magistratus mutuum contraxerunt, non aliter obligatur respublica quam si ad utilitatem eius pecunia versa sit [4]: si foenori data sit pecunia publica et magis-

[1] Ulp. *Reg.* XXII, 5.
[2] L. Malacit. c. 63, 64; Lex coloniae Iul. Genet. c. 82; Gai. III, 145.
[3] L. 3. C. *ne uxor pro marito* (IV, 12); Gai. II, 95; L. 73 § 4 ff. *de reg. iur.* (L, 17).
[4] L. 27 ff. *de reb. cred.* (XII, 1).

tratus usuras stipulatus sit, actio huic acquiritur, secus si stipulatus sit servus publicus, nam iste " obligationem usurarum rei- „ publicae acquirit, et tunc *ipso iure usurae reipublicae debentur* „ [1]. Hanc distinctionem inter varios contractus acute tetigit Papinianus in L. 3 § 2 ff. *de administr. rerum ad civit. pertin.* (L, 8) scribens: " In eum qui administrationis tempore creditoribus reipublicae „ novatione facta pecuniam cavit, post depositum officium actio- „ nem denegari non oportet. Diversa causa est eius qui solvi con- „ stituit, similis enim videtur ei qui publice vendidit, aut locavit „. Scilicet ex promissione facta per stipulationem ipse magistratus tenetur: ex locatione vero vel emptione contracta a magistratu, vi legum municipalium, ipsamet respublica tenetur. Ad possessionem quod attinet, principium valebat " Municipes per se nihil possidere possunt, quia universi consentire non possunt „ [2]; ideoque possessio, donec ius immutatum fuit (aetate Ulpiani an Iustiniani non quaeram) nonnisi per servos municipiis poterat acquiri [3].

51. Ex hisce illud fluebat quod in acquisitionibus sive activae obligationis, sive servitutis, sive rei corporalis, servorum opera passim adhiberetur. Quum cautio praetoria esset interponenda favore municipum, servus (si recte agi vellet) non magistratus stipulabatur [4]; si acquirenda servitus activa, servus mancipio accipiebat [5]; si fundus per mancipationem acquirendus, fiebat servo mancipatio [6]. His consequens erat ut si quis teneretur erga civitatem ad aliquid *dandum* (quod verbum conceptum includit translationis dominii) [7], directum et proprium obligationis implementum aliter excogitari non poterat, quam si fieret servo publico solutio, velut factum est Pompeiis quo tempore exaratae sunt tabellae de quibus nuper disserui, et factum est Fabrateriae aetate Ale-

[1] L. 11 pr. et § 1 ff. *de usuris* (XXII, 1).
[2] L. 1 § 22 ff. *de acq. vel amitt. possess.* (XLI, 2).
[3] Dict. L. 1 in fine, et L. 2 ff. *eodem.*
[4] L. 10 ff. *Quod cuiuscumq. univ. nomine* (III, 4).
[5] L. 12 ff. *de servitut.* (VIII, 1).
[6] Plin. *Epist.* VII, 18; cf. Tacit. *Annal.* II, 30.
[7] Gai. IV, 4; L. 75 § 10 ff. *de verb. obl.* (XLV, 1); L. 167 pr. ff. *de R. I.* (L, 17l).

xandri. At quum servus acquirere posset utique reipublicae, non alienare obligationem, hinc necessaria erat, velut superius ostendi, magistratus auctoritas. Ni fallor intimam rationem tenemus, propter quam imperator in proposito rescripto eam formam quam explicavimus servandam esse demonstravit. Haec sane non eo pertinet ut negetur inanem futuram fuisse solutionem magistratui factam et ab eo acceptam. Imo magistratui iure solvebatur [1], sed tum demum pecunia municipii facta fuisset si eam magistratus in arcam communem intulisset. Sic in L. Mamilia Roscia c. LV magistratui praescribitur pecuniam exigere ac deinde partem dimidiam in publicum redigere [2].

52. Heic vero quaestio exurgit elegantissima. Si municipia aliaeque respublicae servi ministerio egebant ad acquisitiones, quomodonam servus ille acquiri potuerat? An per alium servum? Sed hic unde venerat? Infinitam certe progressionem excogitare non possumus. Agnovit difficultatem Savigny ; sed eam, ut puto, expedire non potuit. Afferam eius verba iuxta gallicam versionem C. Guénoux: " Anciennement on doutait que la pos- „ session pût s'appliquer, comme les rapports de droit propre- „ ment dits, aux personnes juridiques : sa nature, toute de fait, „ semblait peu compatible avec leur nature toute fictive. Aussi „ quelques uns pensaient que ces personnes n' avaient, qu' une „ possession exceptionelle par l'intermédiaire de leurs esclaves et „ seulement pour les objects dépendant du pécule. D'autres pen- „ saient que les personnes juridiques n'ayant pas la possession „ de leurs esclaves, elles ne pouvaient dans aucun cas posséder „ par leur intermédiaire. Du temps des jurisconsultes classiques, „ il était reconnu que les villes, et toutes personnes juridiques „ pouvaient acquérir la possession soit par leurs esclaves, soit „ par des représentants libres „ [3].

[1] Cic. *ad Attic.* XVI, 15 et 17.
[2] Gromat. vet. edit. Lachmann pag. 265, 266.
[3] *Traité de droit romain* liv. 2 chap. 2 § 91.

53. Heic obiter animadvertam, Paulum quoque inter classicos iurisconsultos recenseri, et aliud canere in L. 1 ff. *de acquir. vel omit. possess.*, quam quod sub Ulpiani nomine (L. 2 *eodem*) Pandectae significant, dum innuunt possessionem per liberam personam municipiis acquiri. Nihilominus quae sequuntur videamus. " Au reste il est vraisemblable que cette controverse concentrée „ dans le domaine de la théorie n'a pas eu d'influence sur la „ pratique. Autrement on ne saurait expliquer pour les person- „ nes juridiques l'acquisition d'un droit de propriété quelconque „ d'après les principes rigoureux de l'ancien droit. Sans doute „ elles acquéraient par leurs esclaves : mais comment arrivaient- „ elles à la propriété du premier esclave ? On ne trouve d'autre „ moyen que l'usucapion; mais si l'usucapion est indispensable pour „ établir leur propriété, il faut que la pratique leur ait réconnu de „ tout temps la capacité de posséder, car sans possession il n'y a d'u- „ sucapion „[1]. Id eo valet ut credamus, Romanos aliud theorice docuisse, aliud in praxi servasse : quod quidem nemo facile crediderit. Mirum porro illud est quod laudatus auctor aliam theoriam subiiciat quasi a Romanis receptam ad hanc praxim adstruendam. Ait nempe: " Elles (les personnes juridiques) pou- „ vaient acquérir des droits, car tous les actes juridiques de „ leurs représentants étaient toujours considérés comme leurs „ propres actes ..... Pour la possession cela souffrit difficulté, par „ ce que sa nature purement de fait semblait peu compatible „ avec une semblable fiction. Pour résoudre la difficulté on ad- „ mit qu'en matière de possession la personne juridique était „ aussi représentée par ses représentants généraux ou par ses „ chefs „ [2].

54. Facile haec dicuntur, ast aliud docebat Paulus in L. 1 in fin. ff. *de acq. vel omittenda possessione*, cui concinit Gaius II, 89, 95. Etiamsi Ulpiano (non Triboniano, ut ego arbitror) ac-

[1] Op. cit. loc. cit.
[2] Idem loc. cit.

censendum esset quod dicitur in L. 2 ff. tit. cit. " hoc iure uti- „ mur ut et possidere et usucapere municipes possint, idque iis et „ per servum et per liberam personam adquiratur „, excogitanda esset derogatio facta veteri iuri, amplior illa quae facta est per constitutionem Severi circa possessionem adipiscendam per procuratores [1]. Dixi: *amplior derogatio*; quia qui procuratorem habet incipit usucapere, et acquirit quum *consentit* factae acquisitioni per procuratorem [2], municipes autem, fatente Ulpiano, consentire non possunt [3]. Difficultas itaque semper manet quoad *primi servi* acquisitionem. Ac sane Pompeiis aetate Neronis servi erant diu ante constitutionem Severi; imo aetate liberae reipublicae de servis municipiorum loquutus est Varro *de L. L.* lib. VII c. 41.

55. Quomodo igitur solvemus propositam a Savignyo difficultatem? Multiplicem fuisse puto modum acquisitionis, ut municipia vel coloniae servos haberent. Certe postquam Nerva constituit, ut civitatibus legata possent relinqui [4], servi legati ex vi legis legatarii municipii fiebant [5]. Certantibus autem Proculianis et Sabinianis, utrum legatarii consensus esset interponendus, statuit Antoninus Pius hac in re sufficere decretum decurionum [6]. Sed et ante Nervae aetatem quid vetabat quominus servi municipio in iure cederentur? Expediebatur in iure cessio per legis actionem [7]. In legis actionibus autem poterat civis intervenire pro populo [8]. Insuper municipia iam antiquitus, quum liberae reipublicae essent, servos habebant ex iure gentium, quos bello subactos in servitutem redegerant, nec plus nec minus quam populus ro-

[1] Vide Inst. § 5 *per quas personas nob. acquir.* (II, 9); L. 1. C. *de acq. et ret. possess.* (VII, 32); L. 11 §. 6 ff. *de pignorat. act.* (XIII, 7).

[2] L. 47 ff. *de usurpat.* (XLI, 3); L. 49 § 2 *de acq. vel omit. possess.* (XLI, 2). Paul. *R. S.* V, 2, 2 et L. 24 ff. *de negot. gest.* (III, 5).

[3] *Reg.* XXII, 5.

[4] Ulp. XXIV, 28.

[5] Idem XIX, 17.

[6] Gai. II, 195.

[7] Gai. II, 24; Boëth. in Top. Cic. pag. 322 edit. Orelli.

[8] Inst. pr. *de his per quos agere poss.* (IV, 10) iunct. Gai. IV, 82.

manus habere coeperat priscis rei romanae temporibus. Si divites cives servorum familias habebant, multo magis respublicae : porro ex contuberniis servorum publicorum servi nascebantur. Nemo vero autumabit, concesso per populum romanum municipii iure pluribus Italiae civitatibus, eas amisisse dominium, quod in servis aliisque rebus suis habebant. Dices, hoc dominium existimatum fuisse iuris gentium, non par iuri quiritario. Etsi hoc daretur, tamen per hosce servos recte quidlibet potuisset acquiri [1].

56. Praeterea, quemadmodum Romae consul potestatem habebat *redigendi in publicum* ea quae ex lege vel more oportebat redigi in dominium populi romani [2], sic in minoribus civitatibus supremi magistratus ius habebant redigendi in publicum municipum eius municipii, quae communitatis fieri debebant. Hinc in L. Malacitana cap. LXVI legimus: " quaeque multae non erunt „ iniustae a decurionibus conscriptisve iudicatae, eas multas „ IIviri in publicum municipum eius municipii redigunto „. Eodem spectant quae superius (§ 51 in fin.) attigi de L. Mamilia Roscia, in cuius cap. LV haec habentur de multa exigenda per eum qui in colonia vel municipio iure dicundo praeerit: " Si is, unde ea pecu- „ nia petita erit condemnatus erit, eam pecuniam ab eo deve „ bonis eius primo quoque die exigito ; eiusque pecuniae quod „ receptum erit, partem dimidiam ei dato, cuius unius opera „ maxime is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum „ redigito „. Simile est quod legitur in cap. LXXVI Legis coloniae Iuliae Genetivae: " Quicumque in colonia Genetiva Iulia „ iure dicundo praeerit, sine dolo malo eam pecuniam in publi- „ cum redigito „.

57. Iam si meminerimus locutionem hanc " *in publicum redigere* „ synonymam esse verbi publicare [3], cuius ea vis est ut significet actum eius qui proprium efficit reipublicae quod in

[1] Ulp. *Reg.* XIX, 20 ; Gai. II, 88.
[2] Vid. Liv. II, 42.
[3] Dirksen, *Manuale latinit. font. iur. civ. rom.* v. *publicare.*

huius dominio antea non erat, facile intelligemus qualis fuerit hac super re veterum conceptus. Scilicet ii non putabant supremos magistratus in acquisitione rerum vicem gerere ipsius reipublicae, sive eam *repraesentare*, ceu vulgo dicitur, sed potestatem habere administrandi pecuniam publicam et intra quosdam limites redigendi in dominium communitatis quod antea ad eam non pertinebat. Id fieri poterat per actum unilateralem, quemadmodum per actum huiusmodi explicabatur illud *ius publicandi*, de quo loquitur Ulpianus in L. 2 § 21 ff. *Ne quid in loco publico* (XLIII, 8). Quum ageretur de pecunia numerata, hic actus erat *illatio* in arcam communem; de qua illatione sermo est in L. 9 in fine ff. *de administr. rerum ad civ. pert.* (L, 8), L. 13 pr. ff. *de pollicitat.* (L, 12), et in epigraphe Turritana apud della Marmora (Voyage en Sardaigne Part. II pag. 484, 47; Orelli-Henzen 7080). Quum autem traditio facta servo publico idem valeret atque illatio in arcam communem, facile intelligitur cur in rescripto de quo agimus legatur: " si fraude servi constiterit „ effectum ut interciperentur a curatore illatae a debitoribus „ quantitates „ etc. Ceterum Romae praesertim magistratus supremus non directe in arcam publicam inferebat, sed ope quaestoris qui aerarii custos erat [1]. In iis municipiis et coloniis, ubi quaestores non erant, ad duoviros et aediles ea custodia pertinebat; iurabat enim eorum quisque " per Iovem Deosque Penates „ sese pecuniam publicam concustoditurum „ [2].

58. Quae de pecunia numerata diximus, eadem de aliis rebus mobilibus, praesertim pretiosioribus, dicenda sunt, non enim sola pecunia numerata in publicum inferebatur [3]. Idem ergo valere debebat de servis. Cellae quidem pro iis in aerario non erant, sed erant loca publica a magistratibus *habitandi, utendi causa attributa* [4]. Sane

[1] Liv. XXVI, 47: cf. V, 26.

[2] Lex col. Iuliae Genet. cap. LXXXI.

[3] Festus v. *Tributorum collectorum*; Liv. XXVI, 36 et 47; L. 2 Cod. Theod. *de honorar. codic.* (VI. 21).

[4] Tab. Heracl. lin. 82. Cf. Liv. XLIII, 16.

siquis servum quacumque ex iusta causa magistratui tradidisset ut reipublicae fieret, inductio huius servi in ea loca publica idem valere debebat atque illatio auri argentive in aerarium. Hoc pacto nemo non videt, facilem atque expeditam futuram fuisse primi servi acquisitionem, etiam iis civitatibus quae, quum municipii ius sunt adeptae, nullam habebant ancillam ex qua familia servorum propagaretur.

59. Quae cum sint ita, nullam arbitror superesse propositi rescripti particulam quae quasi obscura aut implexa legentes offendat. In iis autem inquisitionibus quas aggredi coactus sum, si veritatem attigisse, aut quod proxime veritati accedit in hoc documentorum statu visus fuero, gratulabor equidem quod inanis a me labor susceptus non sit : sin minus, sperare saltem liceat ex conatibus meis peritiori alicui stimulos admotum iri, ut quae meae fuerunt investigationis obiecta scite magis in apricum educat et pleniore luce collustret.

H. Alibrandi.

NUOVI DOCUMENTI SUL SACCO DI ROMA DEL MDXXVII

In una pregevole raccolta di carte notarili del secolo XVI, posseduta dall'Accademia Storico-Giuridica, esiste una serie di documenti autentici risguardanti il Sacco di Roma. Da questi mss., per la maggior parte inediti, si traggono importanti notizie intorno ad alcuni episodii di questa terribile invasione, che può appena paragonarsi con quelle dei barbari, e ridusse la città nostra allo stato di decadimento e rovina a cui accennano concordemente le memorie contemporanee.

Non voglio qui ripetere le cause che mossero l'esercito imperiale a stringere Roma di assedio: è questo un argomento già diffusamente e più volte trattato. Noto solamente che la morte del Borbone fu causa di danno maggiore alla città; poichè truppe mercenarie, non riconoscendo in seguito nell'Orange il loro condottiero [1] " men da soldati arrabbiati che da assassini di macchia „ [2] misero a ruba palazzi, chiese e monasteri, cui forse l'autorità di quello avrebbe salvati. Così quanto l'astuta venalità degli Spagnuoli ed Italiani, con taglie ingenti aveva quivi risparmiato di persone e di preziosi oggetti; la sfrenata cupidigia e l'odio religioso dei Lanzichenecchi depredò e distrusse accanitamente, dopo aver ridotti i già miseri abitanti con estorsioni e sevizie all'estrema desolazione.

A far meglio intendere lo stremo a cui si era giunti, giova qui riportare alcuni brani della relazione scritta a Federico Gonzaga dall'oratore di Mantova, con enfasi pari al terrore provato, il 9 di Maggio, cioè tre giorni dopo l'assalto delle mura [3].

[1] Lettera del Card. di Como, in Milanesi: *Sacco di Roma*, Firenze 1867, pag. 471.
[2] Balbo, *Storia d'Italia*, VII.
[3] Vedi la erudita pubblicazione di Alessandro Luzio: *Fabrizio Maraldo*, nuovi documenti. Ancona MDCCCLXXXIII. Documento XXI, 1.

" Hora li significo che non se puotria pensare la extrema ruina „ et desolatione che è seguita per dito sacco, pero che non è re- „ stata casa nè tecto che non habbia sentito il flagello per la „ parte sua, di modo che Roma resta ruinatiss.ª per molti et „ molti anni, nè so se si possa sperare che mai più habbia da „ haver forma di Roma, cusì se vede redutta a quel extremo „ che imaginare non si può; senza lacrime non posso scrivere nè „ far mentione di tal miserabiliss.ª materia, perchè non è sasso „ nè pietra così dura che non se commovesse vedendo un tanto „ et tale esterminio. Tutte le porte de le case sono spezzate et „ vedesi ne le strate persone morte et robbe de quelli che sono „ di manco valore, cioè fornimenti di case et cose simile. Vero „ è che pur qualche casa de Car.ll et altri romani si sono salvati „ con taglia, ma puochi et è stato de necessità convenirsi con „ si gran somma de dinari che forsi non val tanto le case et le „ robbe che ci erano dentro „ [1]. Passa quindi a parlare della sicurezza di cui godeva Isabella Gonzaga nel palazzo dei SS. Apostoli, comprata a prezzo di 40 mila ducati, e soggiunge: " Pur „ hoggi è fatto il bando per Roma che tutti li soldati se ridu- „ chino in Borgo et in Trastevere sotto le bandere loro et che „ si cessi dal far pregioni e da saccheggiar più, benchè hormai „ è fatto tanto che penso non vi resti che far più, perchè tutte „ le robbe sono state tolte et ogniuno è fatto pregione et se si „ voleno liberare bisogna che paghino quello che si può et che „ non si può: pur ciascuno si sfortia de far de l'impossibile il „ possibile per mitigar la miseria sua, et è intervenuto che molti „ sono stati fatti pregioni dui e tre volte „. Date poi alcune notizie sulla partenza di D.ª Isabella e sugli accordi intrapresi da

[1] Nella raccolta posseduta dall'Accademia trovasi anche la taglia imposta dal Maramaldo sul palazzo del Card. della Valle; ma stimo inutile riprodurla perchè già pubblicata dal Bicci nelle *Notizie della Famiglia Boccapaduli,* Roma 1772 pag. 640, docum. XVI, 2; da N. L. Bonaparte nella versione francese del ragguaglio sul *Sacco di Roma,* attribuito a Jacopo Buonaparte, Firenze Tip. Granducale 1830; e finalmente da A. Corvisieri in occasione delle *Nozze Ruspoli-Balboni.* Roma Tip. del Senato 1873.

Clemente VII, conchiude: " Molti casi horendi sono accaduti in „ questa miseranda revolutione, li quali a pensarvi solo comoveno „ le viscere: tra li altri alcuni cittadini romani vedendosi redutti „ in necessità de andare in mano di Spagnoli loro et loro donne, „ como moglie sorelle et figliole, si sono chiusi in una camera „ et hanno con un pugnal medesimo morte le donne et duoppo „ loro istessi per fugire de non andar ne le mano loro, e questo „ è stato fatto da tre o quattro che mi sono stati ditti, ma è „ da pensar che molti altri habbino fatto il medesimo. Per Roma „ non si vede anima viva di quelle che prima vi habbitavano, „ et solo vanno in volta soldati. Del vivere di pane et altro non „ c'è provvigione al mondo, tutti li fornari et artefici d'ogni altra „ sorte sono pregioni o persi di mo' che mai credo non si vedesse „ la piu stupenda e miserabile cosa di questa. La carestia è extrema „ et in questa casa ove siamo è morto qualche persona de fame; „ è stato venduto il pane un ducato l'uno purchè anche se ne „ trovasse pareria buon mercato „.

Il bando fatto, invece di porre un termine a tanti mali, non fece che scatenar vieppiù l'indisciplinatezza dei vincitori, i quali solamente allora si ridussero per qualche tempo sotto le rispettive bandiere, quando si sparse la notizia che i soldati della lega erano distanti sette miglia da Roma.

Il Pontefice stesso, dalle truppe cesaree stretto in Castel S. Angelo, dopo lunghe trattative, dovette per la liberazione sua e degli altri con lui rifugiati, obbligarsi a pagare ai capitani l'enorme somma di 400 mila ducati [1]. Convertiti in moneta tutti gli oggetti preziosi, nè bastando questi a raggiungere il prezzo del convenuto riscatto, il Pontefice si vide costretto a contrarre in nome suo e della Camera Apostolica un grosso prestito di scudi 195 mila d'oro di sole, con i banchieri Ansaldo Grimaldi Genovese per due terzi della somma, e Michele Gerolamo Sanches Catalano

[1] Lünig, *Codex Italiae diplomaticus*, Francofurti et Lipsiae 1728, I pag. 128; L. Guicciardini, *Il Sacco di Roma*. Colonia 1758.

pel rimanente. Il prestito fu stipolato il giorno 6 di Luglio, come si rileva dal I documento che imprendo a pubblicare [1]. Tra le notizie più importanti di tale convenzione è da notarsi la cessione temporanea ai sovventori della " Città di Beneuento con suo li- „ bero governo territorio et intrata et uscita solite „ delle " cinque „ decime che si exigeranno nel regno di Napoli, di quelle che so- „ gliono montare ducati dicesette milia di Camera l'una, di mo- „ neta del decto regno „; e da ultimo delle " spoglie et fructi pen- „ denti de tucte chiesie, monasteri et beneficii „ ivi vacanti e vacabili per tutto l'anno seguente.

Solo i banchieri col trarre grossi guadagni dai prestiti agli ostaggi, parve sfuggissero alla sorte comune. Certo è però che molti di essi furono vittima della rapacità di quei predoni. Trovo infatti un Agostino Gentile banchiere genovese, il quale per sicurezza maggiore, depositò le sue carte di banco presso l'Ambasciatore di Portogallo. Ma rifiutatosi questi a pagar l'impostogli tributo, ebbe il palazzo preso e saccheggiato, con danno irreparabile di quanti vi avevano assicurate le persone e le sostanze [2]. Ora il II documento consiste appunto in una lettera scritta dal Gentile al suo agente in Roma Alessandro Bosco, onde cerchi di ricuperare con cautela le carte, e nasconderle precariamente in luogo sicuro.

Ben più sventurato fu il banchiere Fiorentino Bernardo Bracci. Condotto questi da dieci militi spagnuoli al banco di Bartolomeo Welser affinchè pagasse il prezzo di riscatto, fu incontrato sul ponte Sisto dal Capitano de La Motte, il quale ordinò che fosse gettato nel Tevere, qualora non si obbligasse per altra somma a suo favore [3]. Egli, come risulta dal III documento, dovette rassegnarsi, e fece sborsare per suo conto dal detto banco ducati " 600

[1] Sebbene tal documento sia stato già dato alle stampe da Alessandro Corvisieri nella predetta pubblicazione, pure ho stimato meglio riprodurlo, sì perchè è difficile trovar copia di quello scritto, sì ancora perchè la trascrizione ivi lascia a desiderare maggior diligenza ed accuratezza.

[2] Lettera del Card. di Como l. c. pag. 472.

[3] Buonaparte, in Milanesi l. c. pag. 380.

„ de suo consensu Illustri dño de la Motta „ oltre ai ducati " 8206 „ solutis hispanis qui eum ceperunt „.

Con questo si connette il IV documento riguardante pur esso in parte il predetto banchiere [1]. Imperocchè sopraggiunta nell'estate a tante calamità una micidial pestilenza, che decimò oppressi ed oppressori, Valentino Cebryan, uno dei dieci militi spagnuoli che avevan fatto prigione il Bracci, fu preso dal fiero morbo mentre dimorava in una casa a Montecavallo. Pentitosi delle rapine commesse, dettò il testamento al suo confessore, non trovandosi un notaro " qui tam longe iret propter pestem „. E tra le diverse disposizioni ordinò, che fossero restituiti al Bracci i " tricentos „ ducatos quos sibi pro talia fecit „ pregandolo " quod sibi de „ residuo parcat ne anima sua patiatur „. Questo documento parmi assai utile a potersi formare giusta idea degl'immensi danni sofferti dai Romani in tal tristissima congiuntura, se uno dei tanti predatori potè disporre di una porzione di bottino così cospicua. Nè di minor utilità è un inventario di oggetti preziosi (doc. V) depositati nel banco di Giovanni Fugger dal banchiere Welser il 9 di Agosto dell'anno stesso. Questo ricco tesoro sembrami fosse stato riunito per la maggior parte del Welser, con pegni per danaro dato a prestito a persone diverse, leggendovisi spesso " stà „ in pegno con polliza unita „.

Sebbene le cose esposte qui sommariamente contemplino solo alcuni dei tanti episodii di questa invasione; sono però bastanti a farci comprendere con quanta ragione l'oratore di Mantova conchiudesse un'altra relazione: " sichè questa patria che già hebbe il princi- „ pato de Imperio hor lo tiene de calamità, la qual è inestimabile „[2].

G. Cavalletti-Rondinini.

[1] Il prof. D. Gnoli nella *Nuova Antologia* (serie seconda, vol. XXIV, 15 Dicembre 1880, pag. 753) ha pubblicato alcune parti di questo documento, dicendo che l'originale è posseduto dal libraio sig. Spithöver. Per verità quest'originale fin dal 1879 è posseduto dalla nostra Accademia.

[2] Luzio l. c. Doc. XXI, 2.

DOCUMENTI [1]

I.

Convenzione fra Clemente VII ed Ansaldo Grimaldi e socii pel pagamento delle somme imposte dall'esercito Cesareo per la sua liberazione.

1.

(6 Luglio 1527)

In nomine domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, et sit notum quod Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo Inditione quintadecima, dies uero sexta Julij Pontificatus S. D. N. in christo patris et domini nostri domini Clementis diuina prouidentia pape septimi Anno quarto In discreti uiri Alberti serre Camere Apostolice notarij testiumque infrascriptorum ad hec specialiter uocatorum et rogatorum presentia. Prelibatus sanctissimus in christo pater et dominus noster dominus Clemens papa septimus ex una, et spectabilis D. Thomas Saluagus Institor, et eo nomine spectabilium etiam uirorum Ansaldi de Grimaldis et sociorum mercatorum Januensium Romanam Curiam sequentium pro duobus tertijs: Nec non dominus Michaelem hieronimum sanches mercatorem Cathalanum similiter romanam Curiam sequentem pro alio tertio partibus ex alia, sponte et eorum et cuiuslibet eorum scientia omnibus melioribus modo, uia, iure, causa et forma quibus magis et melius potuerunt et debuerunt, ac quilibet ipsorum potuit et debuit omnia et singula capitula in instrumento presenti contenta inter se se respective inierunt ac ad infrascripta Capitula et Conuentiones deuenerunt modo infrascripto videlicet.

In nomine domini Amen. La Santità di N. S. papa Clemente vij da una parte et li spectabili homini messer Ansaldo Grimaldi e compagni mercanti genouesi seguitanti la Corte di Roma per loro, et chi nomineranno etiam piu potenti per dui terzi, et Michael hieronymo sances Cathelano merchante spagnolo seguente la decta Corte similmente per se et chi nominera etiam piu potente per un terzo da l'altra parte fanno insieme un partito de scuti cento nouantacinque milia nel modo infrascritto.

[1] Ho lasciato nella edizione la dicitura ed ortografia dei documenti originali, sciogliendo soltanto i nessi e le abbreviazioni.

Et primo decti mercanti promecteno pagare per la Santità di N. Signore Sede et Camera apostolica allo exercito cesareo, et per esso al loro generale Capitano o vero al Magnifico et Reuerendo Signor ferdinando marino Abbate de nagera nominato generale Comissario de decto exercito, o alli Signori Capitani o al Thesoriero di decto exercitu, o a chi qualunche di loro ordinera la summa et quantita di scuti cento cinquanta milia d'oro di sole in oro, o la ualuta d'essi in altro oro, o moneta d'argento egualmente.

Et per satisfatione de decti Mercanti, si per li decti scuti centocinquanta milia come per altri quarantacinque milia simili: quali se li deuono come di sotto si dirra, la prefata Santita di N. Signore assegna loro ex nunc in cimque decime che si exigeranno nel regno di Napole di quelle che sogliono montare ducati dicesettemilia di Camera l'una di moneta del decto Regno; a ragione di carleni diece per ducato. Et de li quali Carlini xj et mezo hanno a fare ducato uno largo di peso la summa, et quantita di scuti cinquantamilia d'oro di sole: li quale se hanno a rescotere el piu longo tra mesi xij proximi ogni mese pro rata Con patto che quello piu montassi decte decime de decti scuti cinquanta milia, decti mercanti hanno a rendere alla prefata Santita di N. Signore o Camera apostolica. Dechiarando che decto messer hieronymo Sanches, et chi lui nominerà, habbi la cura di exigere le supra decte decime et derà conto et satisfatione alli decti Grimaldi et Compan: o chi loro nomineranno di quello che alla giornata andra riscotendo Et li Grimaldi hanno la cura de tucte le altre infrascritte cose de le quale similmente debbiano dar conto, et satisfattione al prefato messer Michele hieronymo o chi lui nominera.

Et più per che la Santita di N. Signore a conto di decti scuti centocinquantamilia gia ne ha paghato gran summa al predecto exercito: Imperò sua Santità promette a detti mercanti consegnarli quitanze di decto exercito o suoi Capitani, o Thesorieri, o altri per scudi sessantamilia in sconto de decti centocinquantamilia Et per quello che forse manchasseno dette quitanze darli tanto oro, o argento de presenti, Et non l'hauendo comodamente pagarli fra uno anno proximo. Et ogni mese pro rata lo detto restante una con li Cambij et ricambij che correranno, et piu cinque per cento per la loro prouissione.

Et piu a detti mercanti a conto di detta satisfattione, o per la summa di scudi ventimilia se li consegna ex nunc la Citta di Beneuento con suo libero gouerno, Territorio, et Intrata, et uscita solite, cum pacto che al mancho infra un anno se li habbi a dare decti scudi vintimilia liberi et netti non computandoli le intrate predecte: le quale non se intendano minuire la sorte de decti scudi ventimilia. Et facto decto paghamento di scudi ventimilia infra

decto anno, o prima decti mercanti debbiano relaxare et restituire liberamente la citta, gouerno, territorio et intrate sopradette.

Et piu se da ex nunc in pagamento a detti mercanti per scudi venti milia diuerse robbe et debitori a detti mercanti grati per ducati trentamilia con pacto che fra sei mesi proximi si possano redimere per decti scudi ventimilia senza altro pagamento ac interesse: Et passati essi sei mesi si possino redimere quandocunque infra altri sei mesi con pagarsi a detti mercanti li cambij et ricambij correranno da poi li decti primi sei mesi sino alli altri dicti sei mesi Et con patto similmente che durante el detto tempo di redemptione, le dette robbe et debbitori sempre stiano a risigo dela prefata sede, et Camera apostolica, cosi tenendole in Roma et in castel S^to^ Angelo, come transferendoli per mare et per terra a qualunche loco Il che sia a loro licito toties quoties li parera, senza licentia ben siano obligati essi mercanti in caso di translatione fuor di roma significare alla prefata santa Sede o Camera Apostolica, o al Reverendissimo Camerlingo quando le vorranno transferire et in loco et giunte fussino le robbe al loco significato da indi in poi stiano a risico de lor mercanti totalmente.

Et piu la prefata Santita di N. Signore promette dare de presenti alli predetti mercanti cedule libere di mercanti o altri alloro grati per scudi quattordicimilia: De li quali fra uno anno al piu longo et ogni mese pro rata se ne possino ualere.

Et piu promette Sua Santita che lo Illustrissimo . S . vicere et Magnifici Segretari del Conseglio de Napole etiam nominibus proprijs, et in solidum se obbligheranno pagare et pagheranno alli predetti mercanti Infra decem mesi proximi Ducati quattordici milia d'oro in oro di Camera et ogni mese la rata parte Et questo è per lo censo del regno di Napole deuuto alla santa Sede et Camera apostolica per dui Anni finiti il giorno de la festa di san Pietro et Paulo proximo passato cioè per la festa di san Pietro et Paulo 1526 et 1527.

Et piu per satisfactione de scudi diecesette milia quali come se vide manchano alla detta somma di scudi Cento nouantacinque milia et etiam per potersi recuperare li venti milia scudi douuti sopra le robbe sopradette fra sei mesi o un anno come di sopra se dice Et similmente per satisfattione de li scudi quattordici milia Per li quali s'hanno a dare cedule di mercanti et altre cioe in casu che mancasse in alcuna parte la prefata Sanctita de N. Signore Concede ex nunc et assegna alli predetti mercanti le spoglie et fructi pendenti de tucte chiesie, monasterij et beneficij che al presente uacano et uacheranno per uno anno proximo nel regno di Napole. Et montando piu

decti fructi et spoglie di dette summe l'una xvij et l'altra xx et l'altra $\bar{x}^{m}$iij scudi ogni mese s'habbi a far conto et dare il residuo alla prefata Santità o Camera apostolica perchè si possano sostenere le spese quotidiane che correranno a Sua Santita et Camera apostolica Et caso che fra detto anno con detti fructi et spoglie detti mercanti non fussino satisfacti de le summe predecte l'una di xvij l'altra di xx et l'altra di $\overline{\text{xiiij}}^{m}$ scudi che per esse o per quello manchassi se li debbia satisfare da la prefata Santita et Camera apostolica o altri obligati che si nomineranno Et non se li pagando: statim passato detto tempo se intenda che decti fructi, et spoglie oltra le altre obligationi, et cautele li siano obligati et concessi ex nunc, come di sopra per il tempo a venire in sino attanto che dette summe, et de li cambij corrano dal detto anno in poi et de la prouisione di cinque per $\overset{\circ}{c}$ l'anno seranno integramente satisfacti.

Decharasi che la prefata Santità di N. Signore lascia et dona alli predetti mercanti per loro utile, et guadagno etiam cessante e damno emergente del presente partito hauendo etiam respecto alli molti periculi, et risico che corrano, et potrebbeno occurrere La summa di scudi quarantacinque milia di sole che latissimamente si possa extendere per sufficiente cautela di detti mercanti.

Et più se dichiara che per ricuperatione de le sopradette decime a detti mercanti per li loro credentieri gioueni, et administratori si debbi dare quello salario, et prouisione che li moderni Reverendi Archiuescoui di Cosenza, et di Capua et uescovo di Auersa, o dua di loro dechiareranno, non passando scudi seicento in tucto.

Et più la prefata Santità di N. Signore e a pregheri di quella lo Illustrissimo Signor ferrando Alarchone Marchese de la valle siciliana nel regno di Napole Et lo predetto Signor Abate de nagera promittono ciascuno in solidum alli detti mercanti fare, et osseruare quanto di sopra, et infra è scritto Et piu che lo Illustrissimo Signor Don Carlo de Lanoy vicere predetto et li Signori del Conseglio di Napole ac etiam el Magnifico Mr. Luisi Ramo regente de la generale Thesauria del detto regno etiam nominibus proprijs se obligheranno al piu longo per tucto el presente mese alla detta obseruatione ut principales, et in solidum et in forma Camere Apostolice: Li quali tucti la prefata Santità promette releuare, et conseruare senza damno obligandosi a lor Signori come alli predetti mercanti oltre alli assegnamenti predetti, tucti et singoli beni temporali et spirituali de la Santa Sede et Camera apostolica: li quali beni questi mercanti etiam propria auctoritate possano prehendere doue li trouassino, obligandoli etiam lo subsidio de li quattrocentomilia scudi

inposto supra lo stato de la chiesa per satisfare allo detto exercito et alli predicti che hanno seruito de le predicte summe.

Li detti Mercanti habbino ad hauere la exactione del supradecto subsidio inposto et da imponersi nelle dette terre della chiesa con prouisione di cinque per cento di quello che con effecto exigeranno per se vel per alios: et pagheranno ultra le prefate summe di cento nouantacinque milia scudi per li quali hanno li assegnamenti predicti Et che lo Reverendissimo F. Armellino de Medici Cardinale et Camerlingo habbi la cura di fare exequire tucte le supra dette et infrascritte cose.

Item che li predetti mercanti paghati che loro saranno et satisfacti di quanto deuono, et doueranno hauere per il presente partito hauendo loro in mano di rescosso si de robbe come di assegnamenti et subsidio antedetti: debbiano de quello haueranno in mano satisfarne alli creditori de la prefata Santita di N. Signore Infrascritti dechiarando che a detti exercito de detto subsidio de le dette terre de la chiesa sene ha de pagare scudi ducento cinquanta milia secundo se contiene nelli Capituli facti, et stampati sopra detta imposta.

Demum la Santita di N. Signore et lo suo sacro Collegio de Reverendissimi Cardinali et Camera apostolica, lo Illustrissimo . S. Vicere, la camera summaria, et Conseglio de Napole Et Thesaurere sopra nominati hanno respectiuamente a fare de le cose preditte breui, bulle, patenti, et instrumenti executoriali et regij executori et commissarij mandati lettere et altre scritture che detti mercanti vorranno senza altra loro spesa saluo de la scrittura et fatiga de chi la farra, et assenso et dittamento del sauio loro che latissimamente si possano extendere, et quando fussi stato fora copia del presente Instrumento che alli predetti mercanti si debbiano dare tucti li possibili fauori per dicti effecti Et per obseruatione totale del presente partito.

Et per magiore cautela de li predetti signori Vicere, Marchese, Conseglio, Abbate, et Thesaurieri, et de li mercanti La prefata Santita di N. Signore li assigna li infrascritti debitori ciaschuno per le infrascritte rate quali debitori non possino essere molestati se non passati noue mesi proximi che finira a dì sei di Aprile proximo futuro, et alhora ciascuno pro rata et decti debbitori non hauessino paghato a conto di la satisfattione de sopradetti denari, et tunc quello che manchasse a detti merchanti che non hauessino riscosso de supradetti assegnamenti possino riscotere de li infrascritti debitori le loro rate del debito di sotto contenuto ad elettione d'essi mercanti: Et inoltre Sua Santità motu proprio ex certa scientia, et de apostolice potestatis plenitudine obliga li fructi de' benefitij; quo ad clericos, et quoad clericos et laicos li fructi

de li offitij et altri loro beni di chi non hauessi offitij de li detti et infrascritti debitori. Quali se intendano sempre essere obligati usque ad integram satisfactionem et che loro et suoi successori in decti offitij et benefitij et beni respectiue, passati detti noue mesi possino essere astretti a paghare le dette loro rate una con li cambij et ricambij di quel tempo che piu di noue mesi indugiasseno appagare etiam che loro o alcuno di loro non li fusse de ciò obligato, Et che de li cambij et ricambij predicti s'habbi a stare alla simplice parola d' essi mercanti: Et nichilominus detti mercanti vogliono potere al tempo et dipoi quando li parra astringere appagamento li detti debitori.

R^mo Farnese scudi tremilia dūc 3000.
R^mo Cardinale di monte ducati tremilia.
Per l'Archiuescouo Sipontino dūc cinquecento.
R^mo Cardinale Anchona dūc tremilia.
Per mons^r R^mo Rauennate dūc mille et tricento tredici.
R^mo sancti quattro per se dūc tremilia.
Per il uescouo di pestoya suo nepote dūc settecento cinquanta et piu conti da nicolini ducati cento settanta quattro.
Per una crocetta de dūc tricentotrenta.
Per un collaro dūc seicento ducati nouecento trenta.
R^mo campegio ducati dui milia.
R^mo Armellino camarlingo dūc tremilia.
R^mo Ursino dūc mille trecento tredici.
Et piu da nicolini dūc cento dua et soldi diece.
R^mo Cesi per se dūc mille et trecento trentatre. Per mano de nicolini dūc cento.
R^mo Rangono dūc mille tricentotrentatre.
R^mo Triuultio dūc mille tricentotrentatre.
R^mo Pisano dūc mille tricentotrentatre.
R^mo Gaddi dūc mille tricento trentatre.
R. Archiuescouo de pisa honofrio Bartholini dūc. mille et tricento.
R. Archiuescouo di Capua dūc ducento.
R. Archiuescouo Sacrhista vescouo di Castro del patrimonio dūc trecento.
R. Io: Mattheo vescouo di verona dūc dui milia seicento.
R. M. hieronimo vescouo uasionense mastro di Casa dūc seicento.
R. vescouo di Cesena dūc quattrocento.
R. F. vescouo aprutinense dūc ducento.
R. Archiuescouo di Chieti M. Felice dūc seicento.
M. Paulo Iouio Caualeri dūc cinquecento.
M. Vangelista tarascon. secretario dūc cinquecento.
M. Angelo vantagio Caualeri dūc tricento.
M. blosio Palladio secretario ducati trecento.
M. Iacobo Cirusio da brexia dūc tricento.
L'archiuescouo razi vin^no duc. mille et tricento.

R. vescouo di Salamancha dūc duomilia.

Vescouo del burgo san sepulchro per Lionardo tornabuoni da fiorenze dūc mille.

Vescouo di bergamo de li pomarij venetiano dūc mille.

Vescouo di San Leone M. francesco sperulo dūc ducento.

R. vescouo di Auersa M. Antonio scaglone dūc trecento.

Vescouo di lezze dūc quattrocento.

Archiuescouo di Mathera neapolitano dūc mille cinquecento.

M. Iacomo Salviati de fiorenza dūc tremilia.

M. Lorenzo Ridolphi de fiorenza dūc mille cinquecento.

Et piu hauuti de li denari del Patriarcha d'Aquilegia dūc $\overset{m}{x}$ si glie promesso per breui gli ne sono restati in mano a dicto M. Lorenzo dūc mille tricento.

Simon de Ricasoli, figlio, et genero dūc mille et cinquecento.

Luisi gaddi ducati mille et cinquecento Et al di xviij di luglio per lui per mano di Grimaldi a Paul de lucca dūc diece.

M. Francesco Caymo bagli de sancto Stephano dūc mille.

M. Alexandro da Lodi secretario dūc mille.

M. Sebastiano gratiani de Anchona Cam^ro dūc tricento.

Et premissa attendere et obseruare promiserunt et non contrauenire obligantes se videlicet S.^mus D. N. prelibatus omnia bona sua et Camere apostolice mobilia et immobilia ut supra et pro ut supra et dicti mercatores sua et heredum suorum bona et cet. ad invicem et vicissim in pleniori forma Camere apostolice cum submissione Renuntiatione procure constitutione Juramento respectiue Et alijs Clausulis necessarijs et oportunis obligarunt et ipotecharunt Et quelibet ipsarum partium obligauit et ipotechauit. Dantes facultates Notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica ad sensum sapientis dictorum Mercatorum conficiendi instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt hec Rome in Arce Sancti Angeli Presentibus ibidem prouidis viris dominis Marchantonio Cratio de Tibure eiusdem Sanctissimi familiari Et Joanne Perez procuratore oxoniensi Cesaree Maiestatis predicte secretario testibus.

Et quia discretus vir D. Albertus Serra Camere apostolice Notarius de premisso Capitulorum Instromento rogatus fuit, eaque in notam sumpsit Ideo Ego Thomas Paganucius de Placentia dicti D. Alberti successor presens publicum instrumentum exinde extraxi et confeci ac publicaui cum signo Tabellionatus et nomine meis solitis et consuetis in fidem premissorum rogatus et requisitus.

Auscultata fuit presens copia cum suo originali per me Jacobum Apocellum Curie causarum Camere apostolice notarium et concordat.

Ita est Jacobus Apocellus notarius qui scripsit manu propria.

Die Veneris 20 Decembris 1527 Comparuit Michael hieronimus sanciez principalis et dato edicto heri publicato per federicum Cheuille cursorem in contrarium producto Instrumento et illo recognito per D. Antonium Brin civem Tullensis diocesis et Joannem Trunculum civem Leodiensis diocesis petiit et obtinuit ipsum transumptum manu etc.

(*nella faccia esterna del foglio*)

Transumptum pro D. Michaele hieronymo Sanciez, de 1527.

2.

(19 Decembre 1527)

Nos Carolus Baccius Aretinus Juris utriusque doctor et R. p. d. hieronimi de ghenutijs camere apostolice generalis Auditoris Locumtenens per hoc presens publicum edictum valvis et locis Infradictis affigendum et publicandum tenore presentium citamus et citari mandamus Sanctissimum etc. Clementem papam Septimum eiusque Cameram apostolicam omnesque alios etc. eorumque procuratores etc. quatenus pro prima die iuridica compareant in iudicio legitime coram nobis ad videndum produci quoddam instrumentum capitulorum et conventionum inter ipsum Sanctissimum Clementem etc. ex una et D. Ansaldum de Grimaldis et socios mercatores Januenses Romanam curiam sequentes nec non Michaelem hieronimum Sanches mercatorem Cathelanum eandem curiam etiam sequentem etc. initorum sub die sexta mensis Julij proxime preteriti et subsignatum per thomam Paganutium de placentia successorem domini Alberti Serre notarij camere apostolice partibus ex altera Et postquam productum fuerit ad videndum illud recognosci et iurare testes super recognitione eiusdem ipsoque recognito videndum illud transsumi et exemplari auctoritatemque et decretum dicte curie atque nostram interponi Instantibus eisdem Ansaldo de Grimaldis et socijs nec non Michaele hieronimo Sanches principalibus supradictis Hanc autem nostram citationem quia per auditorem propter Urbis depopulationem et soldatos in eadem existentes fieri non potuit In valuis audientie nostre ac acie campiflore ad instar edictorum publicorum etc. Volumus etc. Datum Rome in edibus nostris sub anno a natiuitate Domini 1527 Indictione 15 die vero Jouis 19 Decembris Pontificatus prelibati Clementis pape vij anno quinto.

Jac.^{s} Apocellus notarius subscripsi.

Anno Indictione die mense et pontificatu quibus supra presentes litere affixe et publicate fuerunt in supradictis valvis ut predictum est per me federicium Cheuille prelibati S.^{mi} Domini Nostri pape [cursorem].

II.

Lettera di Agostino Gentile intorno alle perdite avute nel sacco.

Anno incharnationis 1527 die xvij maij Rome.

